BIBLIOTHEK
DES
LITERARISCHEN VEREINS
IN STUTTGART

SITZ TÜBINGEN

CCLXVII/VIII

LEIPZIG 1925

VERLAG KARL W. HIERSEMANN

DIE VERWALTUNG
DES LITERARISCHEN VEREINS

*

Präsident:

Dr. HERMANN SCHNEIDER
Professor an der Universität Tübingen

Ausschuss 1922/1927:

Prof. Dr. FRITZ BEHREND
Privatdozent in Berlin

Prof. Dr. JOHANNES BOLTE
Geheimer Regierungsrat in Berlin

Dr. KARL BOHNENBERGER
Professor an der Universität Tübingen

Professor Dr. OTTO VON GÜNTTER
Geheimrat in Stuttgart

Geheimer Hofrat Dr. CARL VON KRAUS
Professor an der Universität München

Verlag:

KARL W. HIERSEMANN
Leipzig
Königstrasse 29

*



Friedrich Hermann Flayder
Poeta laureatus, Professor publicus et Universitatis Bibliothecarius.
Tübingen 1596—1640.

HERMANN FLAYDERS AUSGEWÄHLTE WERKE

HERAUSGEGEBEN UND EINGELEITET

VON

Dr. GUSTAV BEBERMEYER

a. o. Professor
der deutschen Philologie
an der Universität Tübingen

LEIPZIG 1925

VERLAG KARL W. HIERSEMANN

DRUCK VON W. KOHLHAMMER IN STUTTGART

Edward Schröder

gewidmet



Vorwort.

Seitdem Goedeke dem Verständnis der neulateinischen Dichtung und ihrer Bedeutung für die deutsche Literatur der Übergangsjahrhunderte, voran des sechzehnten, die Bahn brach, wurde unser Blick durch manche einschlägige Einzeluntersuchung und Publikation geschärft. Aber eine umfassende Darstellung steht noch immer aus: nur im Umriss zeichnen sich die Entwicklungslinien der humanistischen Poesie ab. Im allgemeinen kann man feststellen, dass erst im siebzehnten Jahrhundert die lateinische Dichtung die deutsche unmittelbar und nachhaltig befruchtet hat, während im sechzehnten ihr Einfluss sich nur langsam und nicht so wirksam durchsetzt. Eine Dichtungsgattung indessen geht eigne Wege: für das deutsche Drama, das schon im Mittelalter vom lateinischen Mysterienspiel seinen Ursprung herleitet, wird die lateinische Schwester bereits im Ausgang des fünfzehnten Jahrhunderts vorbildlich und heilsam: strengere Form und geschlossenere Handlung sind dieser Befruchtung zu danken.

Stimmen sind laut geworden, die den Zwiespalt, der angeblich durch den Humanismus in die deutsche Bildung und Kultur hineingetragen sei, beklagen und verurteilen. Sie übersehen einmal, dass die Einwirkung der Lateinpoeten auf die Gesamthaltung der deutschen Kultur höchst problematisch ist, zum andern, dass es damals längst keine einheitliche deutsche Kultur mehr gab. Und dass die nach dem endlichen Bankrott der letzten kunstmässigen Reimerei der Meistersänger ab-

solut formlos gewordene deutsche Dichtung die neue Schule einer strengen Form bitter nötig hatte, wird heute niemand leugnen wollen. Formwille und Stilgefühl der deutschen Dichtersprache waren so tief gesunken, dass gewandte Poeten, die einwandfrei und spielend leicht lateinisch dichteten, meist nur barbarisch unbeholfene deutsche Verse zustande brachten.

Die Zahl der humanistischen Dichter, richtiger der dichtenden Philologen ist Legion. Aus der Masse der Mitläufer gipfelt aber manches Talent mit starker Formkraft empor, namentlich in der dramatischen Gattung. Und das eine und andre Talent dürfte künftige Forschung noch entdecken. So hat auch zeitlich einer der letzten, F. H. Flayder, lange warten müssen, bis die Wissenschaft sich seiner annahm. Zuerst erkannte Scherers Scharfblick die Bedeutung dieses Tübinger Späthumanisten und Schulpoeten, ohne aber durchzudringen. Nach der Jahrhundertwende schneidet Flayder in zwei stoffgeschichtlichen Arbeiten über die Sagen von Emma und Einhart und dem Grafen von Gleichen wieder ungünstiger ab, weil die Verfasser Wesen und Wirkung der Schulkomödie für ihr Urteil zu wenig werten. Vor dem Kriege plante dann A. von Weilen für die seit zwölf Jahren leider ins Stocken geratenen Lat. Lit.-Denkmäler des XV. und XVI. Jahrh. einen Neudruck des Ludovicus: ich zweifle nicht, dass der Herausgeber Flayder gerecht geworden wäre.

Auf Anregung des Herrn Präsidenten des Stuttgarter Literarischen Vereins eröffnen Flayders Ausgewählte Werke nun, nachdem das alte verdienstliche Unternehmen nach der Notzeit des Krieges und der Inflation glücklich wieder flott geworden, eine neue Serie von Publikationen. Der Doppelband erscheint zwar später als vorgesehen, aber dafür in erweiterter Gestalt. Ursprünglich war nur die Neuausgabe einer

Komödie beabsichtigt. Als sich dann Ende 1923 die wirtschaftlichen Verhältnisse endlich konsolidierten, wurde eine Erweiterung zu dem jetzigen Umfang beschlossen, sodass zwei Komödien und eine Auswahl der Epigramme sowie eine knapp gehaltene Biographie nebst Würdigung des Menschen und Dichterphilologen Flayder geboten werden können. Lesern, die in die nicht allerwege leicht verständliche neulateinische Dichtung weniger eingelesen sind, mögen die kurzen Anmerkungen und das Glossar die Lektüre schmackhafter machen.

Die führende Stellung, die ihm in der Geschichte des Tübinger Humanismus und besonders der lateinischen Schulkomödie gebührt, hoffe ich Flayder endgültig gesichert zu haben: nachdem genau dreihundert Jahre seit der Uraufführung seiner ersten Komödie verstrichen sind.

Den Verwaltungen der Württ. Landesbibliothek, des Württ. Staatsarchivs und der Tübinger Universitätsbibliothek nebst Archiv, namentlich Herrn Oberbibliothekar Dr. H. Haering, habe ich für jederzeit bewiesenes Entgegenkommen zu danken.

G. B.



Inhalt.

XI

IMMA PORTATRIX

Comoedia nova et consultoria:

lectu utilis ac jucunda.

Acta in Illustri Collegio Tubingae

Anno 1625. 3. Martii

Authore

Friderico Hermanno Flaydero


Typis Theoderici Werlini Typofusoris

TUBINGAE ANNO MDCXXV



PERSONAE
DRAMATIS

Prologi vices agit Venus.
Carolus Magnus, Rex Francorum.
Imma Portatrix, Caroli Magni filia.
Eginhardus, Secretarius.
Fridericus, Cubicularius.
Antrax, Cocus.
Corydon et
Menalcas, ruſtici.
Amaryllis, puella ruſticana.
Coci.
Judices ſive Conſiliarij Aulici Caroli Magni duodecim.



PROLOGUS:

CUIUS MUNERE

Venus fungitur.

Jambici Senarii.

*Salutem primum iam a principio propiciam
Mihi atque vobis, Spectatores, nuncio:
Ne quis miretur, quae sim, primo hoc eloquar:
Deinde quid velim et cur hûc processerim.
Ego sum Venus: animo sat vestro cognita:
Quam debuissetis statim cognoſcere:
Vt quae Dea semper vobis sim domestica:
Nî seipsum difficilimum esset cognoscere.
Quapropter hîc forâs me tandem contuli,
Vt ante vestros me conspiceretis oculos:
Qui raro conspicitis in tergo manticas.
Quid vos Catones personati tetricas
Jam caperatam in tot rugas frontem ducitis?
Quasi non liceret hîc Venerem in Comoediis,
Deam Cupidinum et Amorum, introducere?
An forsan esse satius arbitramini
Me vestro delitescere clanculum in animo,
Quam si libere in hoc spaciarer Proscenio?
Erratis. Nam qui boni sunt, illis sum bona,
Qui mali sunt, illis sum mala. Neque malis bona,*

Nec bona malis possum exhibere: sicut haec
Sat vobis declarabit iam Comoedia.
Habetis nomen: nunc habete caetera.
Et quae restant, accipite atque animum advortite,
Quam potero in verba conferam paucissima.
In hos Poeta ludos noster scenicos
Duas res introduxit admirabiles:
Vt veritatem facti, quod iam peragimus,
Eo aptius exprimeret. Namque in medio die
Noctem et in hoc vernanti tempore faciet nivem:
Nivem quidem ex historiâ mutuatus est:
Noctem ex historiâ simul et priscis fabulis,
Amphitruone atque Heavtontimorumeno,
Depromsit. Quod ideo volui praedicere,
Ne quis Poetam forte nostrum censeat.
At, si qui Paedagoguli aut umbratici
Doctores, omnis expertes prope gratiae,
Factum id vituperabunt: his respondeo,
Quod agant intelligendo, ut nihil intelligant.
Qui, dum hunc accusant, Plautum ipsum et Terentium
Accusant, quos hic noster authores habet.
Quorum aemulari exoptat negligentiam
Potius quam istorum obscuram diligentiam.
Habet bonorum exemplum: quo exemplo sibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
Nunc vero vobis, Spectatores optimi,
Nomen et argumentum huic non dicam fabulae:
Sed Imma Portatrix, ipsa Magni Caroli
Filia, et argumentum nomenque fabulae
Jam vobis est datura. Noster noluit
Poeta, scilicet metuens, si fabulae
Argumentum inciperem vobis praefarier,
Ne garrula nimis et nimis loquax forem.
Velut omnes garrulae sumus nos mulieres:
Et ipsa vix me continere iam queo,
Quin argumentum vobis hoc nihilominus
Exponam: adeo libenter garriunt mulieres.

Curas malas abiicite in hoc Proscenio!
Si quis vel nummularius nummos novos
Cum veteri permutabit hîc pecuniâ:
Aut si quis hîc avarus, helluo, invidus,
Dicax, superbus, adulter, nasutulus, iners
Ita se geret, ut male occupet subsellium
Probis, pudicis, doctis et frugi viris:
Ibi faxo, ut avaris manus, helluonibus
Gula, invidis dentes, dicacibus labra,
Superbis cristae, adultero et nasutulis
Nasus mordicitus abscindantur: quod suo
Cocus Antrax cultro est facturus acutissimo.
Sed nummulariis, dum peiores novos
Nummos pro nummis veteribus bonis dabunt,
His, si hûc accesserint, digitos, manus, pedes,
Labia, nasum, capillos, aures, inguina,
Non Cocus, at Carnifex truncabit et domum
Mittet: quam legem me dare ipse Carolus
Magnus in his dudum ludis voluit scenicis.
Ego interim, quia sat turtellarum dedi
Amore et qui sequetur amorem turbine
In hac, quam nunc spectabitis, Comoediâ:
Cum id, quod poeta me iussit praefarier,
Praefata sum, in alium me conferam locum;
Ibi videbo, num alias turtellas denuo,
Vel in aliorum, vel vestrorum in pectore,
Ope et auxilio mei astuti Cupidinis
Queam excitare. Vos cavete sedulo.
Tantum est: valete, bene rem gerite et vincite
Virtute vestrâ, quod fecistis antehac.

ACTUS PRIMI
SCENA I.

IMMA.

Jambici Senarij.

Videsis, Rosina tu mea, quo cubiculum
Meum intus exornes meumque lectulum
Recte struas: tu vero, Adelindi, fac cito
Odores incendas: et mox te conferas
Ad opus tuum et colum: ego animi iam gratiâ
In hoc paulisper expatiabor atrio.
Vos interim hoc curate. Jamne sola sum?
Jamne mihi amorem licet erumpere hîc meum?
Ah me miseram, ah me infelicem adolescentulam,
Quae non modo nunc inclementi et iniquissimo
Tam misere, tam crudeliter tamque improbe
Veneris sub regno vapulo: sed et insuper
Quod habeo, habere nolo: quod habere volo, et id
Habere sat nequeo: ita me amor iste huc et huc
Jactat. Male mihi est, male maceror, male crucior.
Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab mei
Corporis et cordis ah miserâ aegritudine.
Namque meus ex quo pater me Graeculo dedit
Nolentem et invitam Regi, nescio cui,
Peregrino, ut nuberem: ex illo magis et magis
Amor coactus evanuit hunc erga Graeculum.
Qui quantum abest ab oculis, tantum abest quoque
Meis a sensibus. Neque huic aliquam meo
Saltem dolori medicinam invenio: neque
Quid agam scio, nisi, quod auribus teneo lupum.
Nam neque ut amittam a me, cui nupsi, Graeculum
Invenio: neque ut Eginhardum, quem solum amo,

Retineam scio: ita in dubio trivioque perperam
Paullo momento huc illuc mens impellitur.
Quomodo enim meum Eginhardum, animam meam, meum
Cor et unicam salutem, possim amittere?
Quem dormiens vigilansque somnio, quem dies
Noctesque magis ac magis expecto et cogito?
Egone illum ut non amem? egone illi ut non bene velim?
Qui ostendit sese mihi iam nunc medullitus,
Mihi sese infidelem in vitâ nunquam fore.
Me potius non amabo, quam desit huic amor.
Ita me hic vadatam amore vinctamque attinet.
Ita hunc quanto minus est spei, tanto magis amo.
Qui, quanquam tanto non sit editus simul
Vt ego stemmate: sed vero Magni Caroli
Regis, parentis illius mei optimi,
Solummodo audiat nunc Secretarius:
Tamen ob ingenij amplissimas dotes sui,
Ob virtutum omnium thesaurum uberrimum,
Ego hunc scio, quam cordi sit carus meo.
Nunc e Gynaeceo sola in solum hunc locum
Exivi, quô, dum ipso frui Eginhardo haut licet
Amoris primâ lineâ: tamen licet
Vestigia illius legere. Nam de die,
Dum in aulam ad Optimum ob negotia Carolum
Meum parentem venit, hûc transit saepius.

ACTUS PRIMI

SCENA II.

EGINHARDUS, IMMA.

Eginh. *Quae illa est, quae contra me astat?* Im. *Ille autem quis est,*
Contra me qui adstat? Eg. *Similis est Immae.* Im. *Eginhardus hîc*
Quidem meus ocellus adest. Eginh. *Ea profecto adest.*
Im. *Eum esse opinor.* Eg. *Congrediar.* Im. *Contra hunc ego*
Aggrediar. Eg. *O Imma, Deus utinam te beet!*
Im. *O Eginharde, Deus det, quae optes! Quaeso, ut vales?*

Eg. *Ut queo.* Im. *Quid agitur?* Eg. *Vivitur.* Im. *Quid? an satis*
Ex sententiâ? Eg. *Ubi eveniant, aut quae opto animo meo.*
Im. *Ah mi oculissime Eginharde, quam permulta sunt*
In vitâ nostrâ, quae quidem exoptarier,
At sperari minime possunt. Malo meo
Quod ipsum, quotquot eunt dies, et singulis
Momentis experior. Eg. *Experior et hoc ego*
Plus quam velim, mea Imma. Im. *At si quid forsitan*
Sperare licet: ibi spes non spes, sed somnium
Atque umbra et vanitas et fumus et omnia,
Verbo uno ut absolvam, nihil est. Eg. *Verissimum*
Loqueris. Nam ne in somno quidem spes turbidae
Sinunt nos dormientes acquiescere.
Modis at miris ludos faciunt hominibus:
Mirisque exemplis somnia in somnis danunt.
Velut ego hac nocte, quae praecessit, proximâ
Mirum atque inscitum somniavi somnium.
Im. *Quod somnium?* Eginh. *Plane insolitum.* Im. *Quaeso mihi,*
Ni tibi molestum est, illud dic. Eginh. *Audire si*
Lubet, dicam. Im. *Imo te loquentem mehercule*
Lubentius audio quam ipsa vel Lubentia.
Nam mihi non verba, sed videris mel merum
Et lac et sesamum effundere. Eginh. *Ludos facis.*
Im. *Quin serio dico hoc.* Eginh. *Quin attendis modo.*
Im. *Hoc ago.* Eginh. *Mihi visus sum in hortulo pulcerrimo*
Totam, quanta fuit, noctem pernoctasse. Im. *Quonam*
Hortulo? Eg. *Rosis et floribus et violis modis*
Omnibus excultissimo! in hoc pulvilli liliis
Argenteis gemmisque erant cincti: ut nihil
Supra. Im. *Mira memoras.* Eginh. *Hic modo levi manu*
Lilia purpurea palpitabam: modo rosas,
Modo violas, modo hos, modo illos ungue flosculos
Libabam: donec nitissima Aurora minimo
Abhuc exorta lumine, me iam excedere
Jussit: ibi, dum me clanculum subducere
Per sepimentum hortuli volebam: ecce contueor
Tam altam ante illud cecidisse nivem: uti neutiquam

Longius abire potuerim: nisi equus quidam,
Equus, inquam, mea Imma, adeo venustus et nitens
Colore candidissimo, ut recens nivem
Iactam facile exsuperaverit. Im. *Sunt mira, quae*
Mihi dicis, expecto, quorsum evadant. Eg. *Mihi*
Sese obtulisset hinnitu suavissimo.
Im. *Quid postea factum est?* Eg. *Me aspectans molliter*
Quasi ascendi se vellet: hunc ascendo ego:
Perque nivem nonnihil equito. Im. *O factum bene!*
Eg. *At postquam me in portu salutis esse iam*
Putavi: ibi repente in foveam cum equo meo
Cum maximo periculo et admodum metu
Ingenti praecipitor. Dumque in tam tristibus
Metus turbinibus versor: ecce equus et simul
Fovea et nix abierunt et repente somnium.
Igitur expergefactus iam pleno die
Parte aliquâ liberatus eram: sed imaginem
Et somnij et equi pulcerrimi et tanti mali
Nec sensibus nec oculis abieci meis.
Im. *Numquis hîc est alienus nostro auceps auribus*
Sermoni? Eginh. *Nullus praeter me et te, quod sciam.*
Im. *Quam vereor, ne quid somnium apportet mali!*
Eginh. *Hoc Deus averruncet! sed quid de nuptiis*
Fiet tuis? Im. *Ah mi Eginharde oculissime, tace*
De nuptiis talibus. Haec namque res meae
Me saturat vitae: haec dividiae et senio mihi
Est. Eginh. *Quid? num Graecum Regem dedignaberis?*
Im. *Regem amet illum, quaecunque voluerit: at mihi*
Magis ac magis in dies meoque animo alius
Rex placet. Eginh. *At huic iam desponsata es.* Im. *At mihi*
Meus animus alium iamdudum firmiter
Despondit. Eg. *Quid vero tuo dictura sis*
Patri, ubi te abalienatam esse senserit?
Im. *Id Deus et Fortuna dabunt. Nam quod fors feret,*
Feremus aequo animo. Eginh. *Placet. Hem istud probae*
Non modo virginis: at simul officium est maximi
Viri. Im. *Vt enim uno rem totam verbo nunc loquar:*

Et omissis tricis omnibus animum meum
Totum tibi effundam: te unum ex omnibus ego
Solum mihi exoptavi, quîcum degerem
Aetatem. Quô autem eveniant, in manu Dei est.
Hic pro lubitu rem dispensabit. Tute scis,
Quam semper te habuerim intimum: quam gnaviter
Te amarim. Eg. At ego una scio: quam istae vestrae sitae
Sint linguae melle, quam orationes saccharo:
Quam corda vero felle sunt lita: quamque sunt
Acerbo aceto tincta: e linguis dulcia
Dicta datis: corde amara facitis denique
Amanti. Quid si sic mihi os una sublinas?
Im. Tibine ego os sublinam? tibine ego verba dem?
O Eginharde, aureus ocellus, amoris decus
Donumque, qui solus mihi es: nunc ubi meam
Benignitatem sensisti in te claudier?
Ego pol, quae mihi sum conscia, hoc certo scio:
Neque me finxisse falsi quicquam, neque meo
Cordi esse quemquam cariorem te unico.
Tuâ operâ et comitate et virtute et gravi
Sapientiâ fecisti, ut in dubiis ego
Te rebus et egenis, neque factis, neque te fide
Unquam deserere possim. Eg. Id ipsum gaudeo,
Si tibi quid feci aut facio, quod placeat, et id
Fuisse gratum adversum te, habeo gratiam.
At cum sis tam Magni tu Regis filia
Et tam ditissimi tamque invictissimi:
Placetne tibi scribae nubere tam pauperi?
Im. Placet ille meus mihi scriba: rex suus placet
Reginae. Nam mihi est idem animus in tuâ
Nunc paupertate: qui in divitiis animus est
Aliis. Sibi sua habeant reges regna: sibi
Divitias divites: sibi honores et suas
Sibi virtutes, sibi pugnas, sibi praelia:
Dum mihi te comitem vitae nostrae adiunxero.
Eginh. Amarum et dulce nunc una misces mihi.
Primo autem nolo ego me credidisse sic tui

Immemorem: neque tu honores mihi, quos maximos
Habuisti, perdidisti. Nam, pol, mihi tua
Grata acceptaque erit aeternum benignitas.
Et me quidem hic amor non unquam poenitet,
Verum, quia in patris potestate est situm:
Faciendum id nobis, quod parentes imperant.
Nam si opprimit pater, exulatum abijt salus.
Im. *Patrem meum, mi Eginharde, non adeo time.*
Spes quippe est illum melius facturum: neque
Ille mereat Persarum altos montes sibi
Totos, qui esse perhibentur aurei, istud ut
Faciat, quod tu metuis: ideoque, Eginharde mi,
Dies noctesque ames me: me desideres:
Me somnies: me expectes: de me cogites:
Me speres: me te oblectes: mecum ubique sis:
Meus sis postremo animus, quando ego sum tuus!
Eg. *O melle dulci dulcior mihi Imma tu es!*
Im. *Tu mea certe vita es: modo fac sies tuae*
Fideli tu fidelis: cave fluxam geras
Fidem: aut amores alio transferas tuos.
Quod ego per ingenium oro et per dexteram tuam
Perque fidem, per amorem perque meam et vitam tuam
Te obtestor, ne te segreges neu deseras,
Si te in germani fratis dilexi loco
Sive ego te solum semper feci maxumi,
Seu tibi morigera fui in rebus quondam omnibus:
Te mihi virum do, amicum, tutorem, patrem:
Bona nostra haec tibi committo et mando nunc tuae
Fidei: meque tibi do in manum. Tu hoc age: mihi
Herus nunc es, tu patronus, tu pater es, et
Tibi iterum atque iterum commendo vitam meam.
Eginh: *Ego, mea Imma, hoc tibi pro servitio debeo*
Conari manibus, pedibus, noctesque et dies
Capitis periculum adire, dum prosim tibi.
Sed quae res in se neque consilium neque modum
Habet ullum, hanc tu consilio regere non potes.
In hac re enim nec ego consilij guttulam

Paratam habeo. Nam si resciscet hoc parens:
Tunc nostri amores, mores, consuetudines,
Jocus, ludus, sermo, suavis suaviatio;
Harum voluptatum mihi omnium et tibi
Distractio, dissidium, vasticies venit:
Nisi quae mihi in te est, aut tibi est in me salus
De coelo missa. Im. *Sis animo tu modo bono:*
Nondum omnium dierum Sol plane occidit.
Sperandum est, dum spiramus: Fortunae vices
Sunt tales, ut Salutis aequa semita,
Cum minime reris, tum primum sese offerat.
Ideoque semper sic spe cogita bonâ
Fretus; veniet, veniet post nubila Sol nitens.
Eginh. *At spissum istud amanti est verbum: veniet: nisi*
Venit. Nam qui amat, quod amat, si it habet, scilicet habet
Id pro rato: quia amans per amasiae suae
Vivit vitam. Im. *Ah mi Domine Secretarie,*
Profecto nullo pacto possum vivere:
Si tute a me abalienaris ac abduceris.
Eginh. *Quin imo mea Domina, mea Regina et Salus,*
Per omnes tibi sanctos adiuro, quando tu
Sermone tuo hîc omnem animum ostendisti tuum,
Me nunquam te deserturum. Non si mihi
Omnes homines inimicos in mundo sciam
Capiundos: te nunc expetivi: sola tu
Cordi meo manebis dilectissima.
Valeant, valeant, qui inter nos dissidium volunt.
Te nisi mors mihi adimet nemo. Im. *Interim pater*
Erga nos quicquid offirmabit: hoc pati
Oportet nos, quod ille faciat, cuius et
Maiestas plus potest: exorando simul,
Haut advorsando sumendam operam censeo.
Eg. *Justissimum petis. Nam advorsari patri*
Sine dedecore et scelere summo non possumus.
Neque ego facturus sum, neque tu ut facias, dabo
Consilium. Im. *Nunc ego dulcia atque amara apud*
Te omnia sum elocuta. Scis mentem meam.

Jam imposterum tibi patebunt mens et fores.
Neque mihi ulla amnis obsistet, neque mons, neque
Adeo mare, nec calor: nec frigus metuo, nec
Ventos, neque grandinem: imbrem patiar, sufferam
Solem, sitim, famem. Non concedam: neque
Quiescam: neque noctu, neque de die, prius
Profecto quam aut Eginhardum aut mortem nacta sim.
Eginh. *Et hoc sanctâ etiam tibi sit votum nunc fide:*
Meamque dexteram et in dexterâ animum hunc habe! —
Sed nisi me fallunt oculi, video aliquem forâs
Ex aulâ egredientem. Im. *Hic Cubicularius*
Regius est. Ego me conferam intro. Tu vale,
Anime mi. Eginh. *Mea tu quoque Rosa millies, vale.*

ACTUS PRIMI

SCENA III.

FRIDERICUS CUBICULARIUS.
EGINHARDUS.

FOrâs hûc missus sum a meo Rege Carolo,
Ut in aulam ducerem Secretarium. Sed hem:
Eccum ipsum in tempore sese hûc video recipere.
Salve, mi Eginharde. Eginh. *Salve et tu, Friderice mi.*
Frid. *Noster potentissimus atque invictissimus*
Rex Carolus tibi mandarier meis
Voluit verbis, ut ad se quam maturrime
In aulam regiam venires. Eginh. *Hoc ago.*
Et iam in viâ sum. Tecum ibo. Frid. *Praei, sequar.*

ACTUS SECUNDI

SCENA I.

Octonarij Jambici.

ANTRAX. COCI.

HEus vos rapaces, vos praedones, vos nequam, vos perditi
Nebulones, me hûc sequimini: atque omnes animo edictionem meam
Advortite: nisi somnum ex oculis vestris amovebitis,
Ita ego vestra latera loris faciam, ut valide varia sint, per Jovem:
Vt ne peristromata quidem aeque sint picta Campanica: neque
Alexandrina belluata conchilata tapetia.
Atque hodie dixeram omnibus dederamque eas provincias:
Verum ita vos estis negligentes, perditi, ingenio improbo:
Officium vestrum ut vos malo cogatis commonerier.
Hoc videsis, ut alias agunt res? hoc agite: hûc advortite,
Hûc adhibite aures, quae ego loquor, plagigera genera hominum: hem tibi!
COC. *Vae mihi!* AN. *Quin nunc doletne? hem sic datur, si quis herum spreverit.*
Assistite omnes contra me, et quae loquor, animum hûc advortite!
Tu astitue ollas, patinasque elue et lardum atque epulas fove focis
Ferventibus: tu nunc, Machaerio, mullos barbatulos,
Qui nunc in aquâ ludunt, exdorsua, quantum potes ocyus,
Atque omnia, dum absum hinc, exossata ut sint cura. Jam tu, Dromo,
Hos ceteros desquamma et purga pisces: tu istum, si sapis,
Gallum glabriorem reddes mihi, quam Veneris speculum est. Tu nisi
Viginti mihi hodie decollatos purgabis anseres:
Te extemplo denasabo: iam scis, quid velim. Tu, Stephanio,
Salsamenta haec fac macerentur pulcre. Ne incocta haec des mihi.
Munditias volo fieri: efferte hûc scopas: ut operam funditus
Aranearum perdam et texturam improbam: deiiciam et has

Earum omnes telas. Cape illas tu scopas: heus furcifer,
Hoc tu, tu hoc converre: alij ligna caedite et alij simul
Deiicite pernas. Sic vos me semper irâ incenditis: quibus
Nunquam unam rem me hisce licet praecipere tam flocci furibus,
Quin centies eadem imperem atque ogganiam: itaque iam, hercule,
Clamore et stomacho non queo labori suppeditare. Heus Dromo,
Jussin', sceleste, ab ianuâ hoc stercus te hinc auferri prius?
Jussin' columnis deiici hunc pulverem et hinc has araneas?
Jussin' in splendorem has ollas et cultros dari hos? nihil est nisi
Imposterum, ac si claudus sim, cum fustibus ambulavero:
Ita vos dormitis: ita vos ronchos ducitis: ita stertitis:
Ita in harâ, non vero in culinâ habito: ita per summum Jovem
Non homines habitare hîc mecum videntur, sed prorsus sues.
Sed quid resistitis? aut quid nectitis moras? cur non opus
Curatis vestrum? iam omnia cocta oportuit. Pergite ocius!
Ne mihi morae sit quicquam, ubi ego intro, quantum possum, advenero.
Ac iam quidem in suo quicque loco nisi erit mihi supellectilis
Situm: cum ego revortar: vos monumentis monebo bubulis.

Senarij.

Nunc per forum ego spaciabor et videbo simul,
Quidnam novi otiosi homines ferant: et hinc
Ad amicam degeram, quod in sinu fero
Ventri stabilimentum, hoc frustillum laridi.
Ego enim a puero mulierum maximus fui
Sectator, uxorem vero habui nunquam: neque
Habere adeo curavi. Namque omnes, qui amant,
Gravissime sibi dari uxorem perferunt.
Hinc etiam ego hanc clementem vitam civicam
Et urbanam atque secutus ocium fui:
Et quod multi fortunatum falso autumant
Adolescentes: nunquam habui coniugem prius.
Nullus equidem amatorum laetatur nuptiis.
Praeter alias enim, quas matrimonia
Molestias secum afferunt durissimas:

Quis, quaeso, vivat liber inter liberos?
Quis eam pecuniarum vim mihi suggerat,
Quae quotidie in usum est habenda domesticum?
Non si vel centum haberem asinos, qui mihi dies
Quotquot nova nomismata vel nummos largiter
Cacare possent, alere coniugem queam.
Primum est habenda ancillula: tum autem plusculâ
Supellectile opus est: opus est ad nuptias
Sumtu: tum puero opus est cibus: opus est simul
Matri, quae puerum lavit: opus nutrici, ut habeat
Utrem veteris vini largiter, ut potitet
Dies noctesque: opus est igne, opus est plurimis
Carbonibus: opus est et fasciis: opus
Pulvillis, cunis, incunabulis: opus
Est oleum, parvulo opus est et lacte puero et
Farinâ: opus est totum diem. Nusquam hoc die
Uno efficiatur opus, quin opus semper siet.
Quam dum apud animum rationem deputo meum,
Ibi demum me non caelibem, sed coelitem
Voco: ut qui nec coniugij, nec liberûm mala
Metuam: interim foris, quod amem, habeo satis:
Quodque domi edam et potitem etiam usque ad nauseam
Habeo. Cellarius enim Regis Caroli
Meus intimus est amicus. Hinc nos invicem
Ego famem, ille sitim contra mihi, compescimus.
Neque edimus, neque bibimus, nisi quod suavissimum,
Carissimum et bellissimum est. Sed iam mihi
Oratio et vox comprimenda est. Nam procul,
Ni fallor, Rusticum aliquem nebulonem in forum
Tendentem video: hinc expectabo, quid velit:
Et quid solus secum meditando murmuret.
At ecce, nequam venum portat anserem et
In caveâ conclusos pullos gallinaceos.

ACTUS SECUNDI
SCENA II.

CORYDON. ANTRAX.

QVI civitatem dixerunt antiquitus,
Per Faunum, male dixerunt; nam non civitas
Haec, sed potius vorago est: ita tot undique
Voraces in eâ sunt homines: ut si pluat
Diebus singulis frumento et piscibus,
Et quicquid ornat cellam promptuariam,
Tamen omnia in momento vorentur unico.
Hinc et, quicquid licitabar, sunt carissima.
Venio ad macellum, rogito pisces, indicant
Caros, agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam: cara omnia.
Juppiter hos nequam cives perdat pessumis
Exemplis, qui nobis miserandis Rusticis
Ita illudunt: apud quos si vel calceum
Vel aliquid aliud emas, nisi selectissimam
His afferas pecuniam, nihil boni,
Nihil recti, quove queas uti, tecum afferas
Domum: sed optimis hi nobis Rusticis,
Si quid emant contra, nil praeterquam plumbeos
Dant nummos: et per Faunum, nisi quis mihi probos,
Imo optimos attulerit nummos, nec anserem,
Nec quas fero gallinas, a me redimet: neque
Minoris quam triplo a me pretio nunc auferet.
An. *Quantum ex oratione intelligere queo,*
Hic plane est omnium bipedum nequissimus.
Cur non hunc ludo probe nebulonem Rusticum?
Coryd. *At at, Cocus hîc adest: videbo, num meam*
Praedam in marsupio invenire possiem.
Heus ventriose Coce, nullum ne tu anserem
Nullasve gallinas emis? en pinguissimas!

Antr. *Heu, quam macras. Opus mihi est emto anseré.*
Cor. *Ergo indica: fac pretium.* An. *At haec merx tua est,*
Tua quoque erit indicatio. Cor. *Vin' bene emere?*
An. *Vin' tu pulcre vendere?* Cor. *Quin habe tibi anserem*
Hunc octo baceis. An. *Nimium est.* Cor. *Septem.* An. *Vah, et hoc*
Nimium est. Cor. *Nummus abesse hinc non poterit, quod tibi*
Nunc dicam. An. *Quid id est, ergo eloquere nunc cito*
Et indica. Cor. *Tuo periculo cape*
Sex baceis. Antr. *An me credis tu pecuniam*
Me furatum esse? Coryd. *An credis tu meum anserem*
Similiter me furatum esse? An. *Sed hunc anserem*
Lices emam, tamen haut est praesens pecunia
Nunc mihi; cras vero quandocunque volueris,
Eam auferes: nunc anserem, si dare voles,
[illegible] Cor. *Anne me insanire tu putas, Coce?*
Diem, aquam, aera, solem, lunam, noctem: haec in foro
Non emimus argento: caetera quaeque volumus
Vti, Graecâ mercarier fas est fide.
Cum a pistore petimus panem, cum calceum
A sutore, ex hospitio vinum: si aes habent,
Dant mercem: eâdem nos disciplinâ utimur:
Semper oculatae nostrae sunt manus: quia
Id, quod viderunt, credunt. An. *At Diespiter*
Te cum tuis oculatis manibus, scelus,
Perdat! si tibi plus quam quinque dedero in manum
Baceos pro ansere, tum mihi duos oculos meos
Effodito: dixi tibi. Cor. *Quin si dedero tibi*
Hunc tam vilissimo pretio: me pro ansere
Decollato: dixi tibi. Ego Culinarium
Magistrum in aulâ potius adibo, qui mihi
Vel undecim praesentes nummos pro ansere
Et tres florenos pro gallinis his dabit.
Tu, ventriose Coce, bene interim vale!
Antr. *At tu, impudice Rustice, abi in malam crucem!*
Coryd. *Hoc faciam, si te mihi comitem tu adiunxeris.*

ACTUS SECUNDI

SCENA III.

ANTRAX.

HVnc modo, qui abijt, plane examussim Rusticum
Nequam esse oportet atque sceleratissimum.
Sine autem introeat modo, dispeream, si preti
Tantum Culinarius huic dederit in manus
Magister: quantum sibi dari falso autumat.
Profecto, nullum genus est fraudulentius
Ac pervorsius, ac sunt hodierni Rustici,
Qui astutiâ suâ omnes vel vulpeculas
Exuperant. Quod saepissime ego malo meo
Expertus sum. Ita promtum ad fraudem ingenium gerunt:
Ita ad expilandum et excoriandum miserrimos
Hominum animos nati atque educti sunt: ita
Cives habent pro solis mendicabulis.
Ita nec lutum ipsum lutulentius est his pessumis
Parietum perfossoribus et nequam viris.
Ecce autem similia omnia: omnes congruunt:
Vnum cognoris, omnes noris Rusticos.
Hic in noxâ est, ille ad defendendam statim
Adest causam. Cum ille est, hic praesto est; mutuas
Tradunt operas: ita in unâ omnes docti scholâ:
Eique scholae, si ulla quoque est, satis certo scio
Hunc esse magistrum et rectorem et caput mali.
Et certe, si Magnus ego essem Rex Carolus
Et imperium solus in his si gererem nunc locis,
Omnes ego tam flocci, tam nihili, tam preti
Nullius suspendi mandarem Rusticos,
Suam ne sic improbitatem impune auferant.
Sed quid me hîc moror? aut cur non potius iam nunc eo
Ad amasiam? quae me meumque laridum,
Quod heri me illi donaturum promiseram,

Magno cum desiderio expectabit, scio.
Post in culinam me repente conferam:
Ibi cyathos sorbillans hunc condam diem.

ACTUS SECUNDI

SCENA IV.

Octonarij Jambici.

CORYDON. MENALCAS.

UT te Dij Deaeque omnes exemplis perdant pessumis
Cum plumbeis et cupreis tuis nummis, improbissime
Culinarie Magister: qui meas gallinas et meum
Plane anserem furatus es. Proh Divûm hominumque fidem, quam avi
Sinistrâ et infausto auspicio hûc ego homo ingressus sum: nam mihi
Pro ansere proque quatuor gallinis solummodo quatuor dati
Sunt bacei. Me miserum! vix sum compos animi, ita ardeo nunc ego
Tantâ iracundiâ: nihil est, quod iam malim, quam illam obviam
Totam mihi dari familiam aulicam, ut iram hanc in eos evomam
Omnem, aegritudo dum haec recens est. Satis id habeam mî supplici,
Dummodo Culinarium ego Magistrum ulciscar. Vah illum quibus
Lacerarem tunc modis! sublimem medium arriperem protinus
Et capite primum in terram statuerem, ut cerebro totam viam
Dispergat: mox oculos furcifero eriperem et praecipitem darem:
Imo ruerem, agerem, raperem, prosternerem atque tunderem.
Menal. *Proviso, ubi sit Cocus Antrax furcifer, meam*
Qui filiam stupravit: mihique eam domum
Cum puero misit. Cor. *Mavelim me pessimo*
Letho emori, quam quicquam imposterum magis
Venum Magistro apportare Culinario.
Menal. *Sed ille quis est, procul quem video? estne hic meus*
Vicinus Corydon? si satis cerno, hercle is est.
Vah homo amicus nobis iam inde a puero, Dij
Boni, nae illiusmodi iam civium
Permagna nobis est penuria. Certe is est

Antiquâ homo virtute ac fide. Haut cito mali
Quid ortum ex hoc sit publice. Quam gaudeo,
Vbi etiam huius generis relliquias conspicor
Restare: vah vivere etiam iam nunc lubet.
Operiar hominem hîc, ut salutem et colloquar.
Cor. *At operae pretium est, quos egomet in culinario hypocaustulo*
Hisce meis oculis viderim, recensere. Fuit ibi ad latus
Fornacis calidae primo mensula rotunda posita et Bacchico
Liquore ita madefacta, ut spongiam, non mensam diceres.
Circa hanc sedebat primo Lanius aulicus; vir pantice
Plane saburrato: barbâ densissimâ, longâ, nigrâ:
Pudendorum contrectator: vultu Erebaeo, oculis concavis
Acheronticisque: deinde quidam Scriba, facie pustulis
Rubicundis et vinosis undique plenâ et obsitâ: hic simul
De dictis et iocis melioribus unum aliquem ridiculum,
Quo compotores exhilararet, tum promebat. Menal. *Ita Dij*
Me amabunt, ut ego hunc ausculto lubens. Nam nimis hic lepide disserit,
Quantum audio, de parasitastris quibusdam et felibus aulicis.
Cor. *In primis autem vidi aliquem, tortis superciliis virum,*
Contractâ fronte, fraudulentum, ventricosum, quem reor
Octo hominum munus in bibendo facile posse fungier.
Ita vinosissimus et multibibus et merobibus est. Ita
Vindemia haec huic uni non satis esset soli: ita gutturi
Dat gaudium. Et hic Praefectus noster est. Menal. *Vt hic socius meus*
Praefectorum probe novit mores: moribus factum hunc velim
Praefectum praefectorum. Cor. *Et hi pulmento, ita me Dij velint*
Salvum, unctiusculo nunc utuntur vinoque magis mero,
Quam vel Rex ipse Carolus utitur: ita musice suam
Agunt aetatem: ita parasitando ventres pascunt suos:
Et veluti mures semper edunt alienum, quem vident, cibum,
Neque quisquam edacitate eos facile superverit: velut
Quotidie hesternas visunt reliquias struicesque exenterant
Patinarias. At hoc miserrimum omnium est: quod nos bonos
Agricolas horum immensos aqualiculos et ventres maximos

Arando, seminando, occando, metendo et sudando est opus
Plerumque farcire et saginare. Menal. *Ego compellassem meis*
Illum iamdudum verbis, ni metuam, ne forte desinat
Memorare mores Parasitorum, quos vidit; nunc sic sinam.
Cor. *Hinc et postquam ducenties trecentiesque prandiis*
Coenisque intersunt, in suorum Principum percommodam
Et laetam sanitatem, tam largis passim sese haustibus
Invitant: ut eos ex tremore nervorum madentium
Et crudidate, ex rubrâ macie, tum ex pedibus tortis et in
Ebrietate velut titubantibus agnoscere facile queas.
Quos etiam si ad prandia voces, ibi cervum cursibus et gradu
Grallatorem vincunt: sin vero quis advocatos et semel
Testes ducat, ibi Podagrosi sunt et cochleae instar se movent.
Sed quis tot promos, tot suppromos, aut quis iam tot pantices,
Tot coepulones aliasque aulae nostrae feles recenseat?
Quin si vel centum capita instar Lernaeae Hydrae mihi undique
Nata essent, tamen horum Parasiticos mores nondum ederem.
Sed eccum socium Menalcam isthic meum? quid agitur hîc boni?

ACTUS SECUNDI

SCENA V.

MENALCAS. CORYDON.

MEN. *Heu quam nimium libenter audivi sermones hos tuos!*
Coryd. *An audivisti?* Men. *Usque a principio omnia: quam bene tu bonus malos*
Descripsisti mores! Cor. *Vah, haut centesimam dixi modo*
Partem: atque, si ocium nunc sit, possim expromere. Sed quid hîc agis?
Quid fit? Men. *Quid? quod miserrimus!* Cor. *Di melius faxint.* Men. *Hoc quidem*
Di faciunt. Coryd. *Sed quid est?* Men. *Dicam, si tibi videam esse operam aut parum*
Otij. Cor. *Quanquam negotium est; si quid, Menalca, vis, tamen*

Non sum occupatus unquam amico operam dare. Men. *Tuam praedicas*
Mihi experto benignitatem. Cor. *Quin loquere, quid me velis.*
Men. *Loquor.* Cor. *Ausculto.* Men. *Nostin', quaeso, Antracem, Cocum illum Caroli*
Regis nostri? Coryd. *Quemnam? illum magno capite et pedibus admodum*
Magnis? Men. *Ipsum.* Cor. *Nempe suris crassis, rufis crinibus?*
Men. *Non potuit pictor rectius, pol, formam eius describere.*
Heu cor meum et cerebrum mihi, Corydon, medium diffinditur,
Istius hominis ubi fit quaqua mentio. Cor. *Quid ita, hercule,*
Obsecro? Men. *Quia, aedepol, certo scio, Vulcanus, Sol et Dies*
Et Luna, Dei quatuor, scelestiorem in terris nullum alterum
Illuxere. Coryd. *Heu, quemnam? Antracem?* Men. *Quam, inquam, Antracem.* Cor. *Quid fecit is?*
Menal. *Quid non fecit? quin tu id me rogitas? verbo unico, me ad incitas*
Plane redegit. Cor. *Nondum intelligo, quorsum tendas.* Men. *Filiam*
Nostin' meam? Cor. *Quidni? tuam Amaryllidem?* Men. *Sic.* Cor. *Nempe monoculam?*
Men. *Probe.* Cor. *Quid cum eâ fecit?* Men. *Eam compressit, compressamque furcifer*
Domum remisit cum infante recenter nato. Cor. *Proh Juppiter,*
Quid audio? Men. *Id quod res est. Nam, mi Corydon, peiori non loco*
Res esse potest quam in hoc, quo nunc sita est. Primum mea filia
Plane indotata est: tum praeterea, quae secunda huic dos erat,
Periit: pro virgine dari nuptum non potest. Cor. *Mira memoras.*
Quin nunc, qui compressit, ducat. Men. *Scelus quidem hoc pollicitus est,*
Promissis vero nequaquam vult amplius stare. Cor. *An tibi*
Nulli sunt Schadvocati, nulli Jurgistae, sive Judices,
Quos adeas, quibus hoc facinus indices, qui suppetias ferant?
Men. *Heu quos non adij?* Cor. *Cur vero te non iuvant?* Men. *Vah quid rogas?*
Sum pauper, careo nummis: nullus est, qui mordeat Cocum.
Cor. *Heu quam multi sunt Jurgistae, qui inter homines, meo quidem*
Animo, ut muscae, culices, pedesque, cimices, pulicesque sunt

Odio et malo et molestiae bonoque sunt nulli usui.
Men. *Et horum ianuae similes sunt portitorum: si affers, patent:*
Si non est, quod des, aedes non patent. Et hi lites serunt,
Ubi nihil litium est. Cor. *Et hi detondent miseros ad cutim*
Vivam. Men. *Et bona extorquent: leges contorquent.* Cor. *Et aucupium novum*
Diebus singulis excogitant: suasque non secus, ac aquam
Ferventem frigidam esse, sic leges putant. Sed hem tibi
Autem. Men. *Quidnam est?* Cor. *Lupus est in fabulâ.* Men. *Antraxne?*
Cor. *Is ipsus est. Mane.*

ACTUS SECUNDI

SCENA VI.

ANTRAX.
MENALCAS. CORYDON. COCI.

ANTR. *Postquam meae amicae detuli lardum, nunc introibo, quo simul*
Videam, quid nobis sit prandij. Men. *Vix me contineo, quin statim*
Venefico huic in capillos involem. Cor. *Iam isthaec nunc, pol, equidem*
Est insipientia: sic iram in promtu gerere: quanto tibi
Satius est, adire blandis verbis atque exquirere primulum.
Bonus animus in malâ re dimidium est mali. Men. *Ausculto tibi.*
Antr. *Sed quinam sunt hi rustici, qui contra me affectant viam?*
Menalcas adest: at at! nisi mihi prospicio, plane haereo.
Nam gladiatorio animo ad me affectant viam. Cor. *Sed quid hominem*
Adire cessas et blande in principio alloqui? Men. *Ita faciam.* Cor. *Age!*
Men. *Heus Antrax, Antrax, respice ad nos!* Ant. *Quin hûc curram.*
Men. *Heus hûc redi,*
Antrax, redi, sunt colloqui qui te volunt. Ant. *Quin potius hâc*
Me conferam. Men. *Heus Antrax, mane!* Ant. *Simulabo, ac si non norim eos.*

Men. *Antrax.* Ant. *Quis tu es homo? quid tibi vis? quid mecum tibi rei est?* Men. *Ego*
Sum. Ant. *Quis tu es, qui moram occupato nunc molestam hîc obtulit?*
Men. *Qui tibi socer est.* Ant. *At mortuo nunc verba fabulare. Nam*
Stultus es; actam rem agis. Cor. *Hunc nosce saltim, quis est.* Antr. *Scio*
Jamdudum qui fuit, nunc quis is est, ipsus sciat. Men. *At antequam*
Hinc abeas, mihi velim prius dicas, quando cum filiâ
Meâ sis nuptias celebraturus? Ant. *Nugas agis.* Men. *At velim*
Mihi dicas: heus, Antrax, dic mihi: quando celebrabis nuptias
Cum filiâ meâ? Ant. *Num tibi nunc malae an dentes pruriunt?*
Qui mihi molestus es; num forsitan malam rem quaeritas?
Cur non adhibuisti, dum isthaec loquereris tympanum? Men. *At volo*
Ego tandem hoc scire: quando in ipso opportune nunc tempore
Te ostendis? Ant. *Quid tibi, malum, hîc ante aulam nunc est clamatio?*
An ruri censes te esse? abscede, abscede ab ianuâ hinc procul:
Abi rus, heus abi directe: abscede hinc ab ianuâ!
Cor. *Jam tu autem hîc nobis praeturam geris?* An. *Mihi sic lubet: hem abi!*
Men. *Nimis iracunde.* Antr. *At scin tu, quam iracundus ego siem? hercule,*
Haut longe tibi abest os ab infortunio: sic gestiunt
Nunc dentifrangibula manibus meis. Men. *Dabitur malum tibi,*
Si me quidem attigeris aut propius accesseris. Ego ius meum
Nunc persequar. Neque tu minis solves, quod re malefeceris.
Antr. *Sine me!* Menal. *Ducturusne es meam tu filiam?* An. *Nugas agis.*
Men. *At te Diabolus permerdabit, nisi verum dices mihi!*
An. *Nihil agis.* Menal. *Dic mihi, obsecro, verum hercle serio, Coce,*
Quod te rogo. Non duces tu filiam meam? An. *Videlicet.*
Menal. *Quomodo?* An. *Cum intestinis omnibus.* Cor. *At tu eam, perversissime homo,*
Cur vitiasti? Menal. *Cur ausus es id facere?* An. *Libuit.* Men. *Eho, Corydon,*

I, gladium affer! Cor. *Quid opus gladio?* Men. *Quî hunc occidam atque me.* Cor. *Haut opust;*
Nam hunc nequam Cocum iam iam fames occiderit. Men. *Quid ais, scelus,*
Quid ais, quantum terra tegit hominum periurissime, non mihi
Jurasti te illam ducturum domum? An. *Fateor; sed non lubet.*
Men. *Conceptis nempe verbis.* Antr. *Etiam consultis quoque.* Men. *Hem scelus,*
Periuravisti! An. *Facile est iurare, sed ideo fidem datam*
Servare, non facile est. Men. *Corydon, assiste altrinsecus et probe*
Hunc onera maledictis. Cor. *Licet; si canis essem, ad leporem ocius*
Non cursim curram. Men. *Ingere mala multa.* Cor. *Nunc ego te differam*
Dictis meis, sceleste. An. *Ita est.* Cor. *Nequam.* An. *Dicis vera.* Cor. *Verbero.*
An. *Certe.* Men. *Impudice.* An. *Quippini?* Men. *Trifurcifer.* An. *Factum optime.*
Men. *Virginifraude.* An. *Haec mea sunt.* Cor. *Patricida.* An. *Perge tu nunc.* Cor. *Sacrilege.*
An. *Fateor.* Men. *Pestis.* An. *Vetera vaticinamini.* Men. *Adulter.* An. *Hem quam valide!*
Cor. *Pernicies virginum.* An. *Acerrime.* Men. *Fur.* An. *Papae!* Cor. *Perdidissime.*
An. *Bombax!* Menal. *Gerro.* An. *Planissime.* Men. *Rapax.* Cor. *Trahax.* Men. *Furax.* Cor. *Fugax.*
Antr. *Probos cantores.* Men. *Verberasti patrem et matrem tuam.*
An. *Atque occidi quoque, priusquam cibum praehiberem: num quippiam*
Peccavi? Cor. *In pertusum ingerimus profecto dicta dolium,*
Operam ludimus. An. *Anne aluid etiamnum voltis dicere?* Men. *Hem tibi, hem;*
Quia non curas verba, verberibus agemus tecum: hem vapula!
An. *Mitte me!* Men. *Duc istum, Corydon: si non sequitur, rape!* Cor. *Rapio; hem tibi.*
Men. *Fac inter terram et coelum ut medius sit.* An. *Mitte me!* Cor. *Nolo.* Men. *Vapula!*

An.*Abstine manus!* Men. *Vide isthic tibi sit acutus culter probe.*
Cor. *Hic ego*
Cultrum habeo, quin iamdudum gestio, maecho hoc abdomen Coco
Adimere, ut faciam, quasi puero in collo crepundia pendeant.
An.*Perij!* Cor.*Haut etiam numero hoc dicis,iam in hominem involo?*
An. *Peri!*
Men. *Imo etiam prius verberetur fustibus.* Cor. *Multum quidem.*
An. *Peri!*
Coryd. *Cur es ausus subagitare virginem, impudens?* An. *Ita me Dij*
Ament, ventum est ad me. Men.*Mentitur,feri: quid cessas,feri! feri!*
An. *Itane agitis; enimvero voce est opus: heus exi, Machaerio!*
Men. *Os opprime!* Cor. *Impurum vide, quantum valet.* An. *Exi Stephanio,*
Dromo, exi! Cor.*Non taces?* An.*Exi, inquam.* Coci: *Audio tumultum. Pro Deum:*
Quid video! noster Antrax pugnis pectitur. An. *Obsecro fidem*
Vestram, spectatores, mihi subvenite! Coci: *Nos adsumus, here.*
Antr.*Afferte mihi suppetias!* Coci: *Stipitem praeustum fer, Dromo!*
An. *Proripite hunc rusticum pedibus quasi occisam suem: arripe*
Tu, Stephanio, illum barbâ rusticum! Coci: *Hîc ignitum stipitem:*
Os occupa, ecce ut nidorem dedit barba. Ant. *Eripe tu oculum*
Ab humero isti! Coci: *Teneo ego huic oculum.* An. *Face ut oculi in capite locus*
Appareat. Cor. *Vae mihi!* Men. *mittite!* Coci: *Agite, abite, fugite hinc in malam*
Crucem. Hem tibi etiam, quia postremus cedis, hoc praemij feres.
Profecto, nae tibi suppetias tempore modo hîc advenimus.
An. *Quin mecum introitis. Nam bene prospereque mihi die hoc opus*
Processit: amovi a foribus molestiam quam maximam.

ACTUS SECUNDI
SCENA VII.

MENALCAS. CORYDON.

MEN. *Anne igitur sic accipienda et mussitanda erit haec iniuria?*
Cor. *Heu misero mihi, nunc ego verum illud verbum esse experior vetus,*
Aliquid mali esse propter vicinum malum. Men. *Vide, ut labrum*
Mihi sit discissum. Cor. *At tu vide, ut mihi barba sit radicitus*
Ambusta. Men. *Sed nunc, Corydon, age, da te mihi nec me desere;*
Nam amici quoque res est videnda, in tuto ut ponatur loco.
Cor. *Ego prae iracundiâ non satis sum apud me. Proh Deûm fidem*
quid est, si haec non est iniuria? inultum id, pol, nunquam a me auferet,
Hac non successit, aliâ aggrediemur viâ. Men. *Quânam viâ,*
Dic mihi. Coryd. *Nostine, Menalca, Secretarium tu Caroli*
Regis nostri? Men. *Non equidem: ei quod nomen est?* Cor. *Illi, aedepol,*
Illi, illi. Men. *Dic, quid est negoti?* Cor. *Devoravi, pol, modo*
Nomen imprudens. Atque etiam modo versabatur id mihi in labris
Primoribus. Eginhardus est. Men. *Dic, quâ facie est?* Cor. *Est strenuâ*
Vir facie: rubicundus: staturâ commodâ. Men. *Haut dicis malum.*
Cor. *In cuius vultu laeta severitas, atque in verbis fides*
Inest. Men. *Quid postea?* Cor. *Hunc adi.* Men. *Probe.* Cor. *Deque tuâ filiâ ordine*
Rem omnem enarrato. Men. *Sic faciam.* Cor. *Et omnia praesenti animo explices.*
Ibi Antracis probra omnia potes aperire: simul filiam
Cum puerulo involuto duc tecum: quam dum audiet, miserebitur.
Nam valde est misericors vir: et longe alius ac nostri aliquot hi
Pecuniarum accipitres Juristae. Men. *Dij vestram fidem:*
Quanti est sapere! nunquam accedo ad te, quin abs te abeam doctior.

Cor. *Ergo accurato et properato opus est. Sed scin, quid velim amplius?*
Men. *Nescio: sed ubi dixeris, sciam.* Cor. *Videsis, ne sine munusculo*
Accedas? Men. *Cur?* Cor. *An nescis, muneribus non solum Judices,*
Qui sunt homines, sed etiam supremum placarier Jovem?
Men. *At nihil habeo.* Cor. *Hem, non caseum, non gallum gallinaceum*
Aut simile quid habes? Men. *Vah, quam inique est comparatum, ut ij, minus*
Qui habent, semper aliquid addant divitioribus! sed nunc scio,
Quid muneris afferam: nam caepi leporem; quem, si non forâs
Quaterer, donarem Secretario. Quid tu suades mihi?
Cor. *Id quod lubet. Sed cur non imus nunc domum?* Men. *Quin ibimus.*

ACTUS SECUNDI

SCENA VIII.

IMMA.

Jambici Senarij.

MOre hoc fit atque stulte meâ sententiâ:
Si quem hominem expectant, eum solent provisere:
Qui, hercle, illâ causâ nihilocitius advenit.
Idem ego nunc facio, quae proviso saepius
Eginhardum, animam meam, meum cor et decus,
Qui nihilocitius venit tamen hac gratiâ.
At quanquam illum iam multos operiri dies,
Imo multos annos cogar hîc morarier:
Nihilominus unica, quae utinam adsit! horula,
Quâ Eginhardi licebit dulcissimâ frui
Praesentiâ, omnia expectandi taedia
Omnesque moras, breves levesque reddere
Mihi, sat scio, poterit. O supreme Deus, ô

Coeli terraeque Rector excelsissime,
O si illud sese laetum tempus offerat,
Illud faustum, illud optatum, illud aureum
Et amoenum tempus, inquam, quo suavissimas
Sponsa ego Eginhardo sponso oscularier manûs,
Quo illi adesse, quo cum illo ludere, illum tangere,
Assidere, colloqui, totoque illo frui
Libere licebit! ah quantis torrentibus
Festivitatum inundarer! quam, quaeso, tunc
In omnium amoenitatum iucundissimo et
Saluberrimo ego Paradiso versarier
Mihi viderer! nam quotiescunque penitius
Eginhardi gravitatem summamque modestiam
In corde meo versor: quotiescunque illius
Vrbanitates, gratias, veneres, iocos,
Qui in vultu, in moribus, in incessu, in vocibus,
Tanquam e cupidinum omnium instructissimo
Elucescunt domicilio, attentius,
Tanquam praesentes, contemplor: ibi denique
Omnes Regum, omnes Principum, omnium Ducum,
Quocunque e stemmate sint orti, filios
Ex animo delere queam: ita me, quod attinet,
Et quantum ego sapio, hic meus, pol, unicus
Ille Eginhardus, quoslibet post se longissimo
Relinquit intervallo; ita solus omnibus,
Quoscunque aulica passim serenitas fovet,
Ambiguam praeripit palmam. At licet haut praelia,
Cicatrices, venationes, facinora
Bellica, equestres ludos, aut imagines
Ab atavis proavisve petitas, aut simile quid,
Quod plerumque hoc tempore commendat aulicos,
Recenseat? quis tamen tam generosissimum
Pectus, quis tam illustrissima mentis munera,
Quibus omnes Magni populos Regis Caroli,
Mei domini parentis, plane illuminat,
Quis, inquam, non exosculetur, non amet,
Non cordi aut penitis medullis imprimat?

Hinc et amor hic meus, qui me in hunc duxit locum,
Tanto firmioribus fixus est radicibus,
Quanto altioribus inflammatur ignibus.
Sed me nunc frustra in hoc spatiarier loco et
Frustra hîc me animam meam et meum decus unicum
Jam expectare video. Nam quantum hinc auribus
Percipio, ad instans tubicen prandium incipit
Dare signum; credo, Eginhardus cum patre Carolo
Iisdem accumbet epulis; *me intro conferam.*

ACTUS TERTII

SCENA I.

CAROLUS MAGNUS.
EGINHARDUS.

Jambici Senarij.

Postquam, Eginharde, satis diu deliberavimus,
Partim, quae ad meorum commoditatem civium,
Partim autem ad amplificandos Imperij mei
Terminos pertinere videbuntur, nunc prandio
Finito sublatoque convivio parum
Animi gratiâ hûc expatiari nobis lubet.
Ne vero et hoc absque suis tempus fructibus
Nunc nobis elabatur : in tempore incidit
Quoddam, quod tibi demandabo. Eginh. *Dictum puta :*
Nempe ut curentur recte haec. Carol. *Imo aliud.*
Eginh. *Quid est,*
Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius?
Carol. *Nihil isthac opus est arte ad hanc rem, quam paro :*
Sed iis, quas semper in te intellexi sitas,
Fide et celeritate. Eginh. *Quin expecto, quid velis.*
Carol. *Ego, postquam iam aliquot annos experientiâ*

Testante tuam serviendi promtitudinem
Et fidelitatem consulendi, tum simul
Summam mandata exequendi vigilantiam satis
Superque perlustravi: scis, feci, ut meus
Consiliarius esses atque Secretarius.
Eginh. *In memoriâ habeo.* Carol. *Haut muto factum.*
Eginh. *Gaudeo,*
Si tibi quid feci aut facio, quod placitum siet,
Maxime Rex patriaeque tuae pater ter inclite, et
Id gratum fuisse advorsum te habeo gratiam.
Sed et hoc molestum est: nam isthaec commemoratio
Quasi exprobatio est immemoris beneficij.
Quin tu uno verbo dic: quid est, quod me velis?
Car. *Ita faciam. Scis, Eginharde, meam filiam,*
Cui desponsata sit? Eg. *Scio, Rex ter inclite:*
Nempe Graeco Regi? Car. *Sic est: huic velim, ut meis*
Verbis cum salute perquam amicissimâ ocius
Epistolam exornes. Eg. *Et hoc ago, Magne Rex:*
Verum quidnam argumenti erit huic epistolae?
Car. *Quoniam mea filia, nempe Imma dilectissima,*
In gynaeceo regali hoc, ut filiam decet
Regis, educta est iamque hos aetatis terminos
Attigit, ut non solum passim plurimis procis
Satis antiquo prognatis olim stemmate
Placuerit, sed et insuper iam, quem modo dixeras,
Regi Graeco sic promissa sit, ut nil magis
Restare videatur quam nuptialia,
Quae utrosque bono auspicio coniungant, vincula.
Ideoque, quod felix faustumque sit, mihi
Meaeque dilectissimae filiae et suo
Sponso velim, ut nuptiarum, quam fieri potest,
Solennitas curetur simulque, quo die
Rex Graeciae meam filiam domum suam
Sit ducturus, mihi significetur. Eg. *Hoc ego,*
Inclite Rex, sine morâ explicatum tibi dabo
Negotium. Sin vero Regi Graeciae
Non commodum erit, ut tam repente nuptias

Celebrare potuerit: quid tunc agendum erit?
Car. Id deinceps ego videbo. Quid vero moram
Afferre possit? annon omnia certa sunt?
Annon verae sunt nuptiae? tu modo, dies
Ut mihi nuptiarum indicetur, fac maturrime
Procures! nam quo citius tales nuptiae
Celebrabuntur, eo erit mihi gratius. Equidem
Sponsarum procrastinationes admodum,
Ut scis, periculosae sunt. Eg. Vera memoras.
Car. Non raro enim fieri assuevit, ubi nuptiae
Et matrimoniorum copulatio
In longum nimis dilata tempus fuerat: ut
Deinceps vel maledicae linguae, vel novi
Amatores tantas turbas conciverint,
E quibus sese extricare fuit difficilimum.
Eg. Verum hoc quidem est. Sed quo magis tua filia,
Rex inclite, caste, pudice et liberaliter
Educta est (ut profecto admodum regaliter
Casteque est educta): hoc minus, quod dixeras,
Metuendum est. Car. Non equidem hoc metuo. At sapien-
tis est
Omnem prius in animo meditarier exitum.
Ideoque, cui iam semel desponsaveram meam
Filiam, eandem sponso desponsatam suo
Jungi volo. Hoc argumentum erit epistolae,
Quam pro tuâ scribendi promtitudine
Adornabis. Eg. Fiet, ut mandasti, Magne Rex.
Car. Interim vero immortali et potenti meo Deo
Non possum satis dignas commemorare gratias:
Qui mihi non tantummodo vitalem spiritum,
Fortunam prosperam atque fortitudinem
In omnibus periculis totque inclitas
Ex meis hostibus victorias largitus est,
Sed et hac affinitate novâ genus novum
Regiumque sic generi iuncturus est meo,
Ut quod alterum affecturum sit maioribus
Ornamentis et decoribus, pol, nesciam.

Eg. *Profecto, Dive Rex Francorum Carole,*
Quotiescunque in tuae sortis fastigium
Meos oculos coniicio: ibi vix unum et alterum
Totius orbis Monarcham perlustravero,
Qui tibi pares perhiberi poterunt: seu tuas
Virtutes tibi Martis sive Artis dixero.
Car. *Mihi tamen semper videtur rectius*
Ingenij quam virium opibus conquirere
Gloriam: et quoniam vita ipsa, quâ fruimur, brevis
Est, memoriam nostri quam maxime efficere
Longam. Nam divitiarum et generis gloria
Fluxa atque fragilis est: virtus vero unica
Clara aeternaque habetur. Eg. *Ita est, Rex Maxime: nec et*
Unquam tibi ingenij Maiestas defuit.
Car. *Nihil vero inter aulicos meos magis*
Odi quam animos audaces, varios, subdolos,
Simulatores ac dissimulatores prope
Rei cuiuslibet: contra illos maxime
Amavi, si talibus sunt usi moribus,
Qui ex liquido canali aperti pectoris fluunt.
Eg. *Profecto, semper candor suum meruit decus.*
Car. *Quapropter et tu, Eginharde Secretarie,*
Ut fecisti, de meo modo atque moribus
Vivito antiquis: quae ego tibi praecipio, ea tu
Facito: nihil ego istos Consiliarios moror,
Qui tanquam dolia inexplebilia gentium
Tributo ventres improbos alunt suos,
Quique amicitias inimicitiasque non bonâ
Ex re, sed ex commodo aestimant magisque habent
Vultum quam ingenium bonum: qui more Verconij
Thurini fumos vendunt bonique militis
Officio strenue funguntur, cum manu
Tagaci et hastis pugnandum est argenteis.
Eg. *Semper ego usque ad hanc aetatem ab adolescentiâ*
Tuis servivi servitutem, Maxime
Rex, imperiis et praeceptis: pro ingenio ego
Me liberum esse sum ratus: sed pro tuo

Imperio servire servitutem tibi meum
Animum aequum censui. Car. *Et hoc probavi eo magis.*
Eg. *Isthaec autem ego mihi semper aetati meae*
Tegumentum habui: neu penetrarem memet usquam, ubi
Esset damni conciliabulum: neu abraderem
Miserorum loculos suumque adimerem alteri: aut tibi
Argentanginâ meâ aegritudinem gravem
Parerem parsi sedulo: tum sarta tecta tua
Mandata usque habui et habebo meâ modestiâ.
Car. *Laudo. Nunc vero quoniam tempus est, ut et*
Sacris incumbam, me intro conferam meum
In conclave: tu, Eginharde, rem fac sedulo
Et hanc et illam des effectam. Nunc vale.
Eg. *Fiat, ut mandasti, Rex Invictissime. Vale.*

ACTUS TERTII

SCENA II.

EGINHARDUS.

REx abijt. Proh summe Deus, quâ pulcerrimâ
Fortunâ, quâ Regis mei placidissimâ
Fruerer gratiâ, si Amor non turbellas suas
Et fel et absynthium intermiscuisset! ah
In quas ego miser nunc agitor angustias!
Itane contra meam Immam dilectissimam,
Itane contra memet ipsum hanc potero epistolam
In rivalis mei scriptitare commodum?
O Fors Fortuna, ut nulli perpetuo es bona!
Tot me impediunt curae, quae meum animum trahunt
Diversae: Amor, misericordia: tum strenua
Sollicitatio nuptiarum: iussa Caroli
Regis mei, qui tanto me fastigio
Honorum collocavit: ut ego advorser huic?
Heu mihi incertum est, quid agam. Iamque parte ab alterâ

Amor me raptat, agitat, stimulat, excruciat:
Hinc doleo, quod vel haec non meo, vel quod ego non
Illius stemmate sum ortus: illinc omnem ego
Spem abiicio, quia vita mea sponsa alterius est.
Ab alterâ parte meae dilectissimae
Dissidium ac segregatio me funditus
Exanimat. Ah dilectissima Imma mea, tibi
Ille est iungendus, cui te non posse nubere
Iurabas: ille vero obliviscendus est,
Quem unum ex omnibus amare absque quo nec vivere
Diu posse affirmabas. O miserrime
Eginharde, siccine relinquere decus tuum
Vitamque cogeris? o leves Sortis vices!
At hodie, quam me accessit haec familiariter!
Ut pudice verba fecit, ut percommode
Et cogitate! ut hodie modeste praebuit
Orationem et amorem omnem mihi suum!
Sed quascunque iam ludibrium Fortunae minas
Mihique meaeque conciliabit amasiae:
Hoc unum tamen verissime queo dicere:
Certe Imma, si non corpore, animo tamen mea est.

ACTUS TERTII

SCENA III.

MENALCAS. AMARYLLIS. EGINHARDUS.

Jambici Octonarij.

MEN. *Quae res bene vortant mihi et tibi et puero tuo et nuptiis novis*
(Sequere hâc, mea gnata, me) cum Dis volentibus: cui rei opera
Detur, scis, tenes, intelligis: communicavi omnia mea
Tecum consilia: eâ causâ ad hoc exemplum exornavi te ego.
Accedes tu mecum Secretarium iam Regis Caroli.
Am. *Heu, heu.* Men. *Quid stulta ploras?* Am. *Heu, metuo accedere*
hunc magnum virum.

Men. *Quamobrem?* Am. *Quia nescio, cum illo quid loquar.* Men. *Hem tu meretrix vide,*
Quam stulta sis: scire potuisti, quomodo cum Regis Coco
Caput collimare debeas: nunc vero, quod in rem erit tuam,
Loqui nescis. Eg. *Ego vocem hîc loquentis modo me audire Rustici*
Visus sum. At ecce, hîc venientem conspicor: miror, quid hîc sibi
In aulâ velit cum puellâ et infante. Men. *Nunc mercedem pervelim*
Dare, qui monstret eum mihi hominem, aut ubi habitet, demonstret. Eg. *Alloquar*
Hunc hominem. Men. *At quis hic est, qui tam magnifice hûc confert ad nos gradum?*
Eg. *Quid agis hîc, Rustice? quem quaeris? quid vis tibi?* Men. *Ah mi Domine, te*
Obtestor teque oro et quaeso, ut te ne pigeat paululum operam
Mihi dare, quod te orabo. Eg. *Quid oras, dic.* Men. *Hunc, quem quaero, mihi*
Si commonstrare potes, a me solidam et grandem inibis gratiam.
Eg. *Quod nomen est illi?* Men. *Hominem strenuum, spectatum atque optimum*
Eum esse dixerunt. Eg. *Ridiculus es: quin nomen dic mihi.*
Men. *Illi Eginhardo nomen est: novistine eum?* Eg. *Tam facile quam me. Age*
Dic, quid acturus sis cum illo. Men. *Nisi apud ipsum Eginhardum rem meam*
Eloqui potero: frustra hîc sum. Satis enim ab Advocatis pessumis
Quibusdam in transennam ductus fui. Eg. *At si ipsum Eginhardum alloqui*
Voles, me alloquere! Men. *Proh Deum, num tu es Eginhardus ipsemet*
Forsitan? Eg. *Ipsus sum.* Men. *Esne tu Regis mei Secretarius?*
Eg. *Ita.*
Men. *Ille Iurista admodum bonus?* Eg. *Quin potius longinquos logos*
Omitte et, quam potes, tam verba confer iam nunc maxime
Ad compendium. Men. *Quaeso prius hunc, quem fero, leporem accipe et boni*
Consule hoc munusculo. Eg. *Quin tuum tibi servas leporem.* Men. *Quaeso accipe!*
Eg. *Dico tibi, ut serves: potes hunc aut vendere aut ipsemet esse leporem.*

Men. *Eho, num non es Advocatus?* Eg. *Quid tum?* Men. *Cur non igitur hoc,*
Quod tibi donare volui, vis accipere? Eg. *Anne omnes tu putas*
Dorophagos esse, qui Principibus a consiliis sunt? Men. *Ego*
Vero iurare ausim me, quoscunque antehac Consiliarios
Accessi, nihil boni efficere potuisse sine amplo munere.
Eg. *Crediderim.* Men. *Semper mihi aut caseus aut gallus gallinaceus*
Aut pernae aut farcimina vel ova donare necessum fuit.
Eg. *Enecas me longo sermone tuo: cur non ad rem tuam redis?*
Men. *Eloquor; animum adverte igitur, mi Domine, et ignoscas nunc mihi:*
Nam ego ad te tanquam imperitus rerum discipulus venio suos
Ad magistros. Eg. *Dic modo.* Men. *Cocus Antrax, ut brevissimis loquar*
Omne negotium, neque boni neque liberalis functus officium
Est viri. Eg. *Quid isthuc?* Men. *Filiam meam, hanc Amaryllida, quam vides*
Hîc stare, vitiavit. Eg. *Hem: quid ais?* Men. *Nondum dixi tibi, quod est*
Gravissimum. Eg. *An quidnam est etiam amplius?* Men. *Vero amplius, quia hoc*
Quidem ferendum aliquo modo est. Persuasit vinum, nox, Amor:
Humanum est. Ubi scit factum, ad me venit ipsus ultro lacrimans,
Orans, obsecrans, fidem dans, iurans se illam ducturum domum:
Ignotum est, tacitum est, creditum est. Interim mea filia ex eo
Compressu gravida facta peperit: ille autem vir bonus hîc
Nusquam vult apparere: anguilla est, elabitur. Eg. *Tun, Rustice,*
Pro certo isthaec commemoras? Men. *Filia mea in medio est: ipsa res*
Loquitur: puer hic ex illo natus est: imo, si mihi fidem
Non vis habere, Cocum adduce, vinci, quaere rem aut factum hoc magis
Extorque, nisi ita factum est, Domine: postremo Antrax ipsemet
Non negabit: coram ipsum cedo. Quin insuper etiam scelus,
Postquam tam miserrime est meam ludificatus Amaryllidem,
Me et Corydonem, meum socium, ex ipso hoc loco velut anseres
De frumento absterruit, abegit. Ubi meque atque etiam socium

Meum adeo ornatos et depexos dedit: ut, quid fuerimus et
Ubi fuerimus, ambo non sciverimus: quin unico mihi
Misero homini plus quingentos colaphos infregit: ut caput
Hoc meum totum etiamnum sit tuber et omnes dentes mihi, viden'?
Labefacti sint. Nunc vero omnis spes in te, Eginharde, sita est mea:
Te solum habeo: tu es patronus: tu parens: si tu me deseris,
Plane perij. Eg. *Cave dixeris. Nec faciam neque me satis pie*
Posse arbitror. Men. *Quaeso: ne sis, ut alij fuerunt Judices:*
Qui contra nequam Cocum nihil audebant aequi molirier.
Perrexi ad alios: veni ad alios, deinde ad alios: una res:
Omnes compacto rem egerunt quasi uno edocti in ludo. Eg. *Age,*
Mi Rustice, sis animo bono: nitar, faciam, experiar et hanc
Animam relinquam potius quam te deseram. Men. *Sed, Domine mi,*
Hoc tu facito, cum animo cogites: quam magni vos estis viri,
Quam estis maxime potentes, dites, fortunati, nobiles:
Tam maxime vos aequo animo aequa noscere oportet: probos,
Si vos voltis, perhiberi. Eg. *Fient, quae fieri aequum omnia est.*
Men. *Decet te facere.* Eg. *Ergo abi et Cocum Antracem hûc cito voca forâs:*
Extemplo ut adsit, vide. Men. *Sic faciam, Domine Secretarie.*
Tu meretrix interim me expecta, dum hunc nebulonem adduxero. —
Eg. *Quo is homo insinuavit pacto se ad te?* Am. *Blanditiis, dono, munere.*
Suis enim blandimentis me pessum funditus dedit.
Eg. *At non morem gestum oportuit?* Am. *Ah mi Domine Secretarie,*
Ille mihi tam bona dedit verba, ut facere haut aliter potuerim:
Quam facile est ludificare simplicem et puellam rusticam!
Eg. *Ubi vero ad te cepit alludere?* Am. *In culinâ, in angulo, ad manum*
Sinistram. Eg. *Non quaero hoc, sed ubi tu illum ceperis cognoscere,*
Illud volo. Am. *Ubi illum ego cognoverim? in culinâ hac, ubi biennium*
Totum miserrima famula patinas et quadras laveram.
Tum demum me nequam ille indignis deludificavit modis.

ACTUS TERTII
SCENA IV.

MENALCAS. ANTRAX. EGINHARDUS. AMARYLLIS.

Jambici Octonarij.

MEN. *Exi, inquam, age exi! exeundum hercule tibi hinc forâs est, furcifer!*
Alios tibi posthac quaeras, cui centones sarcias, scelus:
Non mihi amplius nugari poteris. Antr. *Quid feci, trifurcifer?*
Men. *Quod homo nequam!* Antr. *Tune, homo murcide, mihi audes inclementer hîc*
Dicere? Men. *Exi, inquam! aut si me non strenue vis sequi: ego te quasi canem*
Hominem insectabor lapidibus nequissimum. Nam hercle, Cocum
Te irridere me ut sinam? satius est mihi quovis miserrimo
Interire exitio. Modo sis veni hûc, invenies infortunium:
Ego te hodie faxo recte acceptum profecto, ut dignus es.
Eg. *Ubi is nequam est?* Antr. *Adsum, Domine Secretarie.* Eg. *Heus, homo nihili,*
Cur tantâ es confidentiâ et sceleratissimâ libidine,
Qui virginem audebas violare? Antr. *Quamnam?* Eg. *Quam? rusticam*
Hanc puellam, quae hîc astat, viden'? Antr. *Non aedepol hanc, quod sciam,*
Unquam ante hunc diem oculis vidi meis neque novi neque adeo
Hanc novisse volo. Am. *Quid ais? quasi tu nebulo me non noveris?*
Antr. *Quid ais, venefica?* Am. *Non tu mihi bonâ promisisti fide*
Me ducturum esse? Antr. *Quisnam?* Am. *Tu!* Antr. *Quis ille 'tu'?* Am. *Tu tu, inquam, ego:*
Vin' tu afferri noctuam, quae 'tu tu' usque dicat tibi? Eg. *Possumne ego*
Hodie ex te exsculpere verum? Antr. *Facilime.* Eg. *An huic tu nuptias*
Promisisti? Antr. *Quid? ego huic nuptias promiserim? hercule*
Conceptis verbis iam iusiurandum, Secretarie, dabo:

Me nunquam quicquam cum illa! Men. *Non potest pietate obsistier,*
Ut res sunt ceterae: Deum quidem, quem est aequum maxime
Metuere, eum minimi facit. Am. *Sed mihi assunt testes, qui mihi*
Illud, quod ego dico, assentiant. Antr. *Qui testes?* Am. *Testes.* Antr. *Hem mala*
Merx, quid testicularis? ego tibi istam scelestam, scelus, linguam funditus
Abscindam. Am. *Heu heu!* Men. *Atqui si illam digito attigeris uno, illico*
Oculi effodientur. Am. *Heu heu!* Men. *Quid, meretrix, ploras? quid eiulas?*
Eiulatione haut opus est, oculis miseriam addis: nam in re malâ
Animo bono sis: utare adiuvat. Tanta incepta res semel
Est, haut somniculose hoc agendum est. Antr. *Quid tecum murmuras, scelus?*
Eg. *Verbis velitationem fieri compendi volo: virginem*
Si vitiasti hanc, duc uxorem. Antr. *Domine Secretarie, hunc virum*
Larvae et atra bibis agitat: nam mera deliramenta loquitur.
Ea quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me. Am. *Domine mi,*
Per supremi Regis regnum iuro et matrem sanctissimam
Familiâs Mariam, quam me vereri et metuere maxime
Aequum est: ut extra unum hunc mortalem nemo unquam mihi corpore
Corpus contigit, quô me impudicam faceret. Antr. *Heus tu mulier es,*
Audacter iuras. Men. *Quid ais, Antrax? tu es, qui nil curat Deum:*
Fraudis, sceleris, parricidij, periurij plenissimus:
Impudens, nequam, fur, impurus, fallax, inverecundissimus.
Eg. *Dic, obsecro hercle serio, quod te rogem. Cave mihi*
Mendacij quicquam. Antr. *Quin tu ergo rogas?* Eg. *Vidistine tu prius*
Hanc rusticam puellam? Antr. *Vidi quidem illam saepius in meâ hac*
Culinâ: ubi patinas et quadras lavit. Eg. *Hem, scelus, modo*
Illam te vidisse negabas? nunc vero aliud mihi praedicas?
An nescis mendacem oportere esse memorem? Antr. *Non hoc dicere*
Commemini. Eg. *At tu furcifer hoc negabas modo!* Antr. *Os mihi sublinere vis.*
Am. *Imo mihi stolidae suis sublevit os turpissimis*
Offuciis. Nucleum amisi, mihi reliquit nunc putamina.
Antr. *Quae te intemperiae tenent? quas tu mihi tenebras trudis! tibi,*

Scelesta, non est sanum sinciput. Men. Nunc, Domine, intelligis,
Quod hic ea, quae sunt facta, infecta prorsus esse acclamitat.
Quae neque sunt facta, neque ego in me aut haec in se admisit, arguit.
Am. Heus nebulo, sive ducas me sive non, ego puerum tuum,
Ex te qui natus est, hûc ponam in terram: tuus est: serva eum!
Antr. Nunc adeo ut tu sis sciens: ni puerum tollis, iam ego hunc viâ
In mediâ provolvam teque ibidem pervolvam in luto. Am. Hem scelus,
Aliam nunc orationem despoliatae praedicas mihi:
Longe alium te praebes, inquam, nunc atque olim, cum me amaveras.
Alius atque olim, cum illiciebas me blande ad te ac benedice:
Tum mihi culina quoque arridebat, cum ad te veniebam, tua:
Me unice unam ex omnibus te amare aiebas mihi: quod iusseram,
Quod volueram, faciebas; quod nolebam ac vetueram, id cane
Et angue peius fugiebas. Antr. Mentiris meretrix. Am. Imo tu
Mentiris: qui me interfecisti pene vitâ et lumine:
Q[illegible]que vim doloris magni per voluptatem tuam in meum
Condidisti corpus; quo, aedepol, nunc etiam morbo misera sum.
An nescis, ubi me in tenebrosum concluseris angulum? et mihi
Dixeris: 'mea vita, mea medulla, mea festivitas: sine
Tuos ocellos, mea, deosculer, voluptas: quaeso te,
Sine me amare, meus festus dies, meus passerculus!'
Tum tu furcifer quasi mus per parietem te insinuasti. Num ego
Tibi quid mentita sum? aut huius benefici es tu adeo immemor?
Antr. Ohe iam satis est: comprime te, nimium tinnis; relinque etiam
Aliquantum orationis, cras quod mecum litiges. Am. Tibi
Ut ego taceam? satis mihi fecisti fucum: cum primitus
Aiebas rem seriam velle agere mecum: nec suspicio erat
Tum dolo malo haec fieri omnia: ipse accumbebas mecum, mihi
Te dabas, sermonem quaerebas. Nunc vero postquam, furcifer,
Me gravidam et pulcre plenam fecisti et nunc me matrem vides
Esse factam: promerenti optime hocce preti nunc redditur?
Quot mihi blanditias, quid mihi promisisti doni et boni!
Quot admovisti mihi fabricas, quot fallacias! quam aegerrime
Exsculpsisti a me, ut facerem: annon promisisti tu modiolum
Mihi vini dare? Eg. Hem Coce Antrax, ut nunc noscas penitus,
quid mei
Animi super hac re sit, ausculta: quoniam mendaciis tuis

Subdolis neque mantellum neque fuga malefactis neque perfidis
Tricis hospitium neque diverticulum dolis ullum obviam est
Et tanquam mus in pice haeres: ideoque aut haec puella rustica
Cum infante est habenda aut in lapideâ custodiâ atque carcere
Moriendum est: harum duarum conditionum tu nunc utram
Malis vide. Antr. Quid? egone meretricem ducam? cum puerulo
Virgineo? hanc Rusticam monoculam, doliarem, caesiam,
Cludam, crassam, nigram, sparso ore, adunco naso? ego, Domine
Secretarie, non possum. Men. Eia ut elegans est! an nescis, Coce,
Tempore nocturno omnes vaccas esse nigras? Eg. Ergo Rusticam
Hanc, quantum audio, non vis ducere? Antr. Neque possum neque volo. Eg. Rustice
Tu, i propere et lorarios aliquot intus exire iube. Men. Fiet. Hîc
Mox adero. Quantum video, res parata est mala in vesperum huic Coco.
Nam et coenandum et cubandum est intus male. Eg. Flagitium hominis, ego
Te fame, ego te siti, malefactis amatorem ulciscar probe:
Ego te, pol, probe incommodis angam: faciam, ut iam dignus es:
Vitam colas Ancherontis pabulum, flagitij et facinoris
Persequentem, stabulum nequitiae. Quam hîc meretricem non amaveras?
Aut cui nihil dederas? ideoque tibi hoc iterum loquor:
Nisi puellam hanc tecum hûc iam, quantum potest, adducis, exigam
Hercle ego te, ut quis sis nescias! quid nunc est? quid est? quin ocyus
Mihi dicis, quid facturus sis? Antr. Non possum. Men. Cum lorariis
Hîc adsum. Eg. Iniicite huic actutum manicas mastigiae. Antr. Quid hoc? quid hoc
Est negotij? quid ego deliqui? Eg. Rogas, sator sartorque tu
Scelerum et messor maxime? Men. Imo nebulo meam filiam turpissime
Occavit. Eg. Astringite isti, sultis, vehementer manûs. Men. Ego
Simul astringam. Antr. Obsecro! Eg. Illuc abductus sit rectâ in carcerem,
Ut dignus est. Ego profecto illis aulicis aliis probum
Documentum dabo, ne tale quisquam facinus incipere audeat. Men. Age,
Omnium quantum est, qui vivant, hominum homo ornatissime, Domine

Secretarie, quô nunc ego ibo cum meâ filiâ? Eg. *I domum!*
Cras vero redire potes; ibi operam dabo, quô negotium
Tuum, ut par est, curetur. Men. *Vale. Tu vero, Amarylli, iam quia*
Advesperascit, ocius me cum puero sequere. Am. *Sequor.*

ACTUS TERTII

SCENA V.

EGINHARDUS.

Jambici Senarij.

I*Mprobe Amor, quid non inceptas, in quae mala*
Mortalium devios non trahis animos!
Quid sceleris, quid dedecoris, perfidiae, probri,
Intentatum et inausum soles relinquere!
In primis vero, ubi talem vinctum attines virum,
Quem vel ratio vel bona Fortuna deserunt.
Ad me vero quod attinet, quanto magis
Magisque cogito, profecto hic Amor
Meus mihi magnum dabit infortunium,
Nisi eundem consilio quodam fulciam.
Sed utut res sit: quis tam generosissimam Deam,
Nempe meam Immam, non penito pectori imprimat?
Non amet? non exosculetur? non medullitus
In eam liquescat? per Deum: haec virgo unica
Vel silicem lapidem subigere, ut sese amet, potest.
Nam Venus non est Venus: hanc equidem Venerem ego
Venerabor, me ut amet ac ut mihi propitia sit.
O Apella, ô Zeuxis pictores, cur mortui
Numero estis, hîc exemplum ut hinc lepidissimum
Pingeretis. Nam alios pictores nihil moror
Huiusmodi tractare exempla excultissima.
Sive enim oculos illius aspicio nigerrimos:
Ibi vel mille lustro in unico Cupidines

Momento: si frontem, ibi nivem: si genas, ibi
Quintam essentiam rosarum cerno: si osculum,
Illud rotundum, illud venustum, illud aureum
Et hiulcum cogito: ibi instructissimam omnium
Venerum Charitumque videor videre pyxidem.
Praeterea quae hilaritudo in facie, quis nitor,
Quae gravitas quaeque laetitia in vultu micat!
Quam usque ab unguiculo ad supremum est festivissima
Capillum! quid papillas, ah illas nimis
Lacteas sororiantes, gemmeas, premi
Natas, quidve illas cogitem manusculas!
Quaeque singula totius corporis denotent decus!
Iurare possum tantam admirabilem meae
Et rarissimam Immae esse formam, ut nunquam hanc queat satis
Humani curta sermonis penuria
Laudare. Nam quicquid dicetur, erit minus.
Nihil hîc de magno et regali, quo orta est, satu
Loquar (quanquam ah quam melius esset, si filia
Non tanti Regis, sed pastoris pauperis
Aut mendici potius audiret: quam cito
Illam iamdudum vel indotatam, pauperem
Nudamque mei sociam adiunxissem lectuli!
Ut lepide, ut honeste, ut perquam liberaliter
Atque haut gravate ego hanc venerarer Deam).
At quid elegantes gestus, quidve spiritum
Plane regalem commemorem. Ita me Deus
Amet, ut haec unica mea Imma festivissima
Adeo dignissima est, ut vel magni Dij
In amandâ illâ omnes nervos intendant suos.
Nam haec virgo dissimilima est prorsus virginum
Aliarum: quae secum ancillarum integros greges
Ducunt: quae in templis, ubi saepius sunt virginum
Mercatus, se prostare et ostendi volunt.
Quae dum foris sunt, nihil videtur mundius
Nec magis compositum quicquam nec magis elegans.
Quae cum amatore suo cum coenant, ligurriunt:

Harum videre ingluviem, sordes, inopiam,
Quam inhonestae solae sint domi atque avidae cibi,
Quo pacto ex iure hesterno panem atrum vorent.
Hae sunt, quae usque ab Aurorâ nullo cessant modo
Lavari aut fricari aut tergeri aut polirier
Aut expoliri aut ornari aut nocte et die
Pingi, fingi: cumque noctes diesque omni in suâ
Aetate semper ornantur, lavantur et
Tergentur et poliuntur; postremo modus
Muliebris nullus est, neque unquam sic satis
Lavando et fricando saturae sunt. Vix tamen
Aegreque aliquos scrutarentur amatorculos:
Nisi sollicitando et pollicitando libere
Eductos, rerum imperitos adolescentulos
In fraudem illicerent animosque spe evanidâ
Lactarent ac meretricios turpissimis
Suis amores conglutinarent nuptiis.
A quibus cum mea Imma dilectissima absiet
Longissime meque unicum perdidissime
Amet ita, ut et prae me contemnat Graeciae
Totius regem: cur occasionem ego
Mihi ostentatam, tam optatam, tam brevem,
Tam insperatam amitterem! si quidem nemo uspiam est
Tam ingenio duro nec tam firmo pectore,
Quin, ubi quicquam occasionis sit, sibi faciat
Bene, praesertim cum Amoris vulnus sanet is
Ipse, qui facit. Ideoque ego spe fretus bonâ,
Dum noctescit: ne mihi sermone meo morae
Quid offeram, nunc in dilectissimae meae
Immae cubiculum placidissimo gradu
Ire pergam meque sic coram virginibus his
Gynaecei simulabo, quasi quid regij
Mandati mihi exequendum sit apud meam
Immam: donec ab ipsâ ducar in intimum retro
Cubile, quod mihi patebit, sat scio.
Nam mihi et animum et fores dudum patefecerat.
Nunc placide introibo, accedam atque animam comprimam.

Interim vos hac nocte me non debetis, forâs
Dum redeam, expectare: nam mihi ad diluculum
Usque cum Regis mei, quam accedo, filiâ
Totam, quanta erit, noctem singularis fabula
Et taciturnum peragendum est interscenium.

ACTUS QUARTI

SCENA I.

CAROLUS MAGNUS.

Jambici Senarij.

Quanquam somnum hac nocte oculis non vidi meis
Nulloque modo in lecto potui conquiescere:
Tamen hanc consuetis sic studiis noctem meis
Fefelli, ut etiam horum vicem suavissimos
Non optarim somnos. Studia enim isthaec mea
Tam mihi propria sunt, ut me alant, ut hanc meam
Senectutem oblectent resque secundas mihi
Meas ornent, ut adversis solatium et
Perfugium praebeant, ut delectent domi,
Foris non impediant mecumque militent,
Peregrinentur pernoctentque. Ita me Maximus
Conservet Deus: in Imperatoribus et in
Regibus et Ducibus atque in Nobilibus nihil
Adeo praelustre ac excelsum dari potest
Quam literarum monumenta. Hinc et tanto ego
Erga haec ardore semper conflagravi, ut et
Velut proposito vexillo passim viros
Doctissimos Lutetiam vocaverim
Et partim memoriae, partim autem literis
Heroica mandarim carmina et in hac meâ
Linguâ Grammaticam scripserim et Teutunicis
Menses ventosque donarim ego vocabulis.

Semper vero plebeios tinctos literis
Honoribus nobilitavi dignissimis.
Sed Nobiles, qui literas, qui studia, qui
Linguas spernunt aversanturque, eos ego
Tanquam degeneres e statu expunxi suo.
Nunc vero unum hoc me nocte hac vexavit male:
Quod coelum hoc densis undique plenum nubibus
In obductas deiecit hîc terras nivem,
Ut nec stellas nec stellarum admirabiles
Potuerim giros motusque intuerier.
Iam cum satis ninxit coelumque hoc nubibus
Stat vacuum: ibi lux diesque albescens sidera
Et has stellas oculis intercepit meis.

ACTUS QUARTI

SCENA II.

EGINHARDUS. IMMA. CAROLUS.

Jambici Octonarij.

EG. *Bene vale, ocule mi! nam sonitum et crepitum claustrorum audio et diu est,*
Cum iam lucescere occepit: dedit et tubicen praenuncios
Diei cantus aedituusque fanum aperuit. Nunc vale,
Dilectissima tu mea. Im. *Vale, mellitissime mi Eginharde, cor*
Et rex meus, vale. Eg. *Cur me tenes? profecto maximum*
Nunc tempus est: exire e gynaeceo, priusquam penitus hoc
Luciscat, volo. Numquid vis? Im. *Cum absim, me ames, me diligas:*
Me tuam absentem tamen! Eg. *Ah hinc quam aegre a te divellor! sine te, prius*
Quam hinc abeam, postremum amplectier. — Car. *At quid susurri et murmuris*
Meae aures usurpant? ni fallor, e gynaeceo est! — Eg. *Vale.*
Im. *Vale.* Eg. *Quousque, quaeso, ad hunc modum inter nos sic utimur*

Amore semper surreptitio? Im. *Placide egreiere et cardinum*
Foriumque sonitum et crepitum prohibe: ne, quid hic agimus et hac
Nocte egimus, quis percipiat fieri: mi Eginharde, mane! mane:
Suffundam aquulam. Eg. *Non opus est.* — Car. *Certe vox cuiusdam hominis meas*
Nunc verberat aures: miror, quid sit! — Eg. *Sed proh Deum!*
Im. *Quid est?* Eg. *Mea*
Imma, hûc forâs prospice! Im. *Quid?* Eg. *Vides tu hanc nivem?* Im. *Video: heu quam altam nivem,*
Quam copiosam una nox iecit! — Car. *Nequeo satis lustrare, quid*
Hominis hîc inter semiadapertam stet ianuam: certe vir est!
Miror, quid in gynaeceo sit hoc viris negotij! —
Eg. *Heu me infelicem, heu me miserum! quamnam viam, quodne ego iter hîc*
Insistam? Im. *Cur?* Eg. *Rogas? ah mea tu, visne, ut per vestigia mea*
Prodar? Im. *Deus hoc prohibeat!* Eg. *Proh Deum, quid agam?* Im. *Id nescio aedepol!*
Eg. *Manebone?* Im. *Non consultum hoc est.* Eg. *Exibon'?* Im. *Neque hoc consultum.* — Car. *At hic*
Nonne meus est Secretarius? — Eg. *Ah quid agendum censes mihi?*
Im. *Hoc, dilectissime Eginharde, nesio.* — Car. *Profecto hic Eginhardus est:*
Miror, quid hac nocte in gynaeceo egerit! — Eg. *Ah meum cor metu*
Mihi plane est mortuum! — Car. *Quid brachia iactat?* — Eg. *Heu, vix sanguinis*
Guttam habeo: ita haec nix mihi pectus perfrigefecit hoc meum;
Nec de me, quid nunc faciam, scio. Im. *Nec de me equidem.* Eg. *Animus mihi*
Totus pendet: ita haec nix meam incertat mentem; ita radicitus
Omnes mihi conturbavit rationes. Im. *Eginharde!* Eg. *Quid est?*
Im. *Bono*
Sis animo. Eg. *Quî possum?* Im. *Doctum inveni dolum: amove metum!*
Eg. *Quid ais?* Im. *In portu navigas.* Eg. *Imo in medio versor mari.*
Im. *Num vestigia metuis?* Eg. *Ah, haec ipsa metuo virilia.*
Im. *At ego faciam, ut pro vestigiis virilibus muliebria*

Habeas vestigia. Eg. Non intelligo, quid velis. Im. Nondum? pedes
Viriles tibi demam et illorum vicem virgineos tibi pedes
Dabo. Eg. Quos? Im. Meos! Eg. Tuos? Im. Imo meos: ascende modo tu et inside
Super me! Eg. Quid agam? Im. Ascende: ego te sublatum his meis per nivem humeris
Portabo. Eg. Tun' virgo imbellis gravem me portabis virum?
Im. Imo tui similes vel quatuor portarem in hoc casu. Anne tu
Necessitatem nescis ferrum frangere? Eg. Age, quando ita lubet,
Necessitasque hoc postulat, ascendam. Sed antequam hoc agam,
Cohibeto intra limen etiam te parumper, tu mea:
Sine me prius prospectare, ne uspiam insidiae sient bono hoc
Consilio, quod habere volumus. Nam opus est nobis tuto loco:
Vnde inimicus nequis nostris spolia consiliis diruat:
Vnde inimicus nequis nostra spolia capiat forte auribus.
Nam bene consultum inconsultum est, si non habeatur clanculum.
Sed speculabor, ne quispiam hinc a laevâ aut hinc a dexterâ
Inceptui nostro venator assit cum auritis plagis.
Sterilis prospectus usque ad ultimam plateam hinc est probe.
Im. Ergo inside! Eg. Quomodo? Im. Brachia tua meo collo tu modo
Circumiice. Eg. Bene: ita agam. — Car. At quid hoc? quid hoc? quid hoc est? quid ego iam
Video? quid hoc est conduplicationis? quae haec congeminatio est?
Quaeve haec virgo est, super quam Eginhardus ascendit? satin' ego
Oculis cerno, estne illic mea filia Imma? et ea est certo! quid hic
Video, quid audio, quid cogito! — Im. Pol! dulcius non memini onus
Me portasse. — Car. At ego, si vivam, talem tibi sarcinam, sine
Modo, imponam, quam tuo feras malo! — Eg. Neque ego me mollius
In vitâ equitasse memini. — Car. At ego tibi, per Deum, tale ephippium
Substernam, ut tu, dum vivas, mei memineris: me specta modo! —
Eg. Sic satis est. Ut lepide commenta es doctum et catum dolum! aedepol,
Mea tu, versutior es quam rota figularis! vah quam callidum
Et calidum consilium! Im. Nunquam audivisti mulierum dolos
Et astutias omnium hominum superare technas et strophas?
Eg. Id verum esse modo ostendisti. — Car. Ego dolos vero hos et has strophas

Vestras, ita me Deus amet, sic excipiam et sic aperiam, ut has
Neutiquam inultos cogamini vos designasse faterier:
Ubivis facilius passus sim quam in hac re me deludier! —
Eg. Nunc hinc me paululum abscondam. Vale. Im. Vale. Mihi vero opus est
Eadem mea vestigia cautius observare et per hanc nivem
Meos remetiri pedes, ne me ut sorex prodam. Optime
Profecto hoc nobis processit negotium. Nunc introeo
Foresque placide has claudam ac simulabo, quasi modo surrexerim.

ACTUS QUARTI

SCENA III.

CAROLUS. FRIDERICUS.

QUanto hanc in pectore rem voluto magis, tanto mihi auctior
In animo est aegritudo. Ad illumne modum mihi os esse oblitum?
Neque id antea perspicere quivi? quod cum scibitur, integrum
Per orbem irridebor: 'hic ille est Rex ductus, cui verba data sunt,
Cuius filia Graeco desponsata Regi Secretarium,
Nescio quem, totam noctem secum habuit suo in cubiculo'.
Enimvero hîc apud nos, Eginharde, confregisti tesseram.
Non hercle is sum, qui sum, nisi hanc iniuriam meque ultus hinc
Pulcre fuero. Non meum imperium, age, mitto imperium, non meam
Simultatem revereri! saltem non pudere! ô facinus, ô
Audax inceptum! non ego nunc mediocri iracundiâ
Iratus incedo. Nam aegritudo mihi obiecta est ab homine, quem
Fidelissimum ego ante putaram, cui nuptias filiae meae
Concredidi: at ovem credidisse lupo me huic intelligo! heu
Quid agam? si tacuero: quantam ad nequitiam latissimam
Fenestram aperuero? namque omnes deteriores licentiâ
Sumus. Sin vero hos punivero: quantam maculam mihi et meis
Inussero! itane a filiâ delusum meâ, quam putaveram
Satis spectatam morigeramque! itane hancce facere nuptias
Repudiosas, quam tanto Regi in matrimonium dare

Volebam! quid? sin aliter divinae visum est prudentiae?
Quae humana longe acutiori cernit oculo: nescio
Profecto, quid rerum nunc inceptem. Quod optimum est, meos
Summos Consiliarios vocari mandabo: quibus omnibus
Totum hoc deliberandum dabo negotium. At, se in tempore
Hic offert. Heus Friderice! Frid. *Adsum, Rex inclite.* Car. *Voca omnes meae*
Aulae in Palatium hoc Consiliarios excepto uno tamen
Eginhardo. Frid. *Hoc ago.* Car. *Dic, intra unius horae spatium omnes simul*
Conveniant! Frid. *Fiet, Magne Rex: iam hîc ero.* Car. *Sed quid me hîc diu moror!*
Ibo intro, ut factum hoc ante conventum prius deliberem.

ACTUS QUARTI

SCENA IV.

EGINHARDUS.

Jambici Senarij.

QUam vere dicitur: armat spina rosas! quod et
Ego hodie proprio sum expertus meo bono et
Malo. Nam quas nocte hac rosas pulcerrimas,
Quas festivissimas, quas praedulcissimas
Decerpsi, illas tot spinae totque perditae
Vepres sentesque vestierunt: ut prope ad
Necem mens animi nostri compuncta fuerit:
Nisi rosa mea suavissimis odoribus
Mihi suis suisque calliditatibus
Astutiaque suffudisset frigidam
Meque animi dubium et vitae nescium prope
Suis in portum portasset cervicibus.
Sed videsis, Eginharde, ut ne quid nimis: omnium est
Quippe modus rerum. Amores hi tui, nisi

Porro astu providebuntur doctissimo,
Teque tuamque penitus Immulam pessundabunt.
Namque hoc facinus magnum et memorabile non sine
Periculo potest fieri. Nunc scio, meum
Quid hesternum sibi voluerit somnium.
Nempe gynaeceum hoc fuit ille hortus: nempe in hoc
Ego pernoctans lilia, violas, flores, rosas
Mille et mille manu decerpsi meâ. At haec fuit
Nimirum ille nitidissimus equus aut equa
Potius, quae me suavissimo hinnitu suo
Oravit, ut se ascenderem: super hac ego
Festivus eques altam equitavi per hanc nivem.
Sed fovea illa, in quam cecidi, timeo, quid velit.
Sed conticescam. Nam ni fallor, Rusticus
Ille redit cum socio suo et cum virgine,
Quae puerum peperit. Expectabo, quid velint.

ACTUS QUARTI
SCENA V.

CORYDON. MENALCAS. AMARYLLIS. EGINHARDUS.

Jambici Octonarij.

COR. *Ain' tu?* Men. *Sic est.* Cor. *Nempe Coco tunicam lapideam in carcere*
Indutam? Men. *Ita, Corydon.* Cor. *Et eundem compedes crassissimas*
Gestare? Men. *Sic factum.* Cor. *Et adhuc illis detineri?* Men. *Ita arbitror.*
Cor. *An non tibi docte suasi, quô ad Eginhardum tu ires?* Men. *Optime!*
Cor. *Reliquosque Juristas, qui tibi toties mentiti sunt, ut hos*
Minoris aestimares quam ancillam, quae latrinam lavat.
Men. *Rectissime. Profecto: quantus, quantus es, nihil nisi*
Sapientia es! Cor. *Et ob hanc causam mihi filius Jack Doctor est*
Parisiis in Medicinâ factus. Men. *Itane ais?* Cor. *Sic est. Caput*

Habet sicut ego. Nam quicquid scit, illud habet in memoriâ.
Men. *Ideoque etiam te hûc mecum duxi, ut mihi sis Advocatus et*
Orator meus. Cor. *Hoc faciam. Sed nonne isthic Secretarius*
Est Eginhardus? Men. *Ubinam est?* Cor. *Illic, viden'?* Men. *Video. Quin adibimus?*
Cor. *Abi tu prius; ego hîc quasi in insidiis morabor.* Men. *Ut lubet.*
Cor. *Tu, Amarylli, veni ad me!* Am. *Venio, mi Corydon.* Cor. *Menalca, Menalca, age, hem*
Menalca! redi: nunc tu pileum etiam detrahe tuum et genua
Incurva et Domino etiam diem bonum precare! Men. *Sic agam.*
Bonus dies, Domine! Eg. *Salve.* Men. *Salve et tu, Domine! quomodo*
Dormivisti hac nocte? Eg. *Utcunque. At cur iam venisti? nam nimis*
Pene est mane. Men. *At nescis, mane quod occeperis negotium*
Agere, id diem procedit totum? — Cor. *Iam inde a principio hic est probus.*
Non, pol, cessavit doctum verbum dicere. — Men. *Quid autem cocus*
Antrax agit? an adhuc inclusus est caveâ? Eg. *Modo omnia*
Confessus est. Men. *Hem.* Cor. *Euge!* Eg. *Per lorarium a me ille veniam*
Petijt: seque tuam filiam ducturum promisit. Men. *Probe.* —
Cor. *Audis, Amarylli tu, quid loquitur? hodie sponsa eris!* Am. *Audio.* —
Eg. *Modo etiam mandavi, ut suis emitteretur vinculis.*
Men. *Atque hem lorarios duos! credo Antracem adesse.* Eg. *Is ipsus est.*

ACTUS QUARTI

SCENA VI.

ANTRAX. EGINHARDUS. CORYDON.
MENALCAS. AMARYLLIS.

ANTR. *Mittite nunc me: non me similem avis faciam, ut fugiam. Non ego*
Nequius unquam in meâ dormivi vitâ: neque ego hac nocte, pol,
Me longiorem vidisse autumo. Credo equidem tam diu

Solem dormivisse atque appotum probe. Mirum est, sese nisi
In coenâ plusculum invitavit. At pol, nunc ad infimum
Adhaesit mihi ventrem fames: totus frigeo: amarum os habeo:
Dentes plenos: hae fauces lippiunt fame: oboriuntur ah
Tenebrae: genua haec inediâ prope succidunt, ex quo meas
Relliquiarum relliquias non degustavi: aedepol dies
Hesternus pervorsus mihi et advorsus plane obtigit et malus.
Quae me clam sum ratus facere, ea omnia palam nequissimus
Fecit Rusticus: hic me vitij complevit et formidinis.
Eg. *Heus Coce, procede hûc: periisti, nisi verum nunc scivero.*
Antr. *Quis me vocat? Eginhardus est: me ad huius abiiciam pedes.*
Cor. *Profecto hic hodie longe est alius quam fuit heri.* Eg. *Quid ais?*
Quid vis tibi iam? Antr. *Mi Domine Secretarie, te obsecro per Deos*
Atque homines perque stultitiam meam. Eg. *Dic, me quid obsecras?*
Antr. *Inscitiae meae et stultitiae ignoscas; nunc demum scio*
Memet fuisse excordem, coecum, incogitabilem, improbum;
Meruisse equidem me maximum fateor malum fateorque me
Peccavisse et me culpam commeritum scio hanc gravissimam.
Id adeo te oratum advenio, ut animo aequo ignoscas nunc mihi.
Men. *Cur ausus es id facere, ut id, quod tuum non esset, tangeres?*
Antr. *Quid vis fieri? factum est illud: fieri infectum haut potest magis.*
Deum credo voluisse: nam ni hoc vellet, non fieret scio.
Eg. *At ego Deum credo voluisse, ut te in custodiâ enecem.*
Antr. *Ne istuc dixis, Domine.* Eg. *Quid ergo tibi puellam tactio est?*
Antr. *Quia vini vitio atque amoris feci.* Eg. *Quid? Coce audacissime!*
Cum isthacne oratione hûc ad me adire te ausum esse impudens?
Nam si isthoc ius est, ut si tu istuc excusare possies:
Ibi clarâ luce deripiamus aurum matronis palam:
Post id, si simus prensi, dicemus et affirmabimus ebrios
Amoris nos causâ fecisse: nimis amor et vinum utile est,
Quando ebrio atque amanti impune facere, quod lubeat, licet.
Antr. *Quin ultro tibi nunc supplicatum venio ob stultitiam meam.*
Eg. *Non mihi homines placent, qui, cum malefecerunt, purgare se*
Volunt. Tu illam scibas tuam non esse, non oportuit
Attactam. Antr. *Ergo quia ausus sum tangere, non causificor, eam*
Ego quin nunc habeam. Eg. *E re tuâ ut opinor, tu feceris, quia*

Aulam nunquam introibis, nisi puellam duces. Men. *Ergo bonâ*
Mihi fide iura, quod ducturus sis. Cor. *Abi tu, Amarylli, dic*
Tibi promittat. Am. *Sic faciam: promitte mihi tu nequam.* Antr.
Hîc manum .
Habes. Am. *Te ducturum me.* Antr. *Ducam te.* Men. *Hodie fieri nuptias*
Volo. Antr. *Fient.* Eg. *Ego nunc abibo: nam audire has nugas mihi*
Nunc non est otium. Tu, Antrax, cura, ut sacerdos ocius
Te cum illâ iungat: de te vero propter scelera tua et tuam
Perfidiam propediem supplicium sumam, quo sis omnibus
Exemplum: nam non sic abibit. Antr. *Faciam, Domine.* Eg. *Si sapis.*

ACTUS QUARTI

SCENA VII.

CORYDON. MENALCAS. ANTRAX. AMARYLLIS.

COR. *Nunc ego Cocum hunc deridere et comedere gestio: fa i*
Ex insulso salsum. Men. *Age lude illum.* Cor. *Gratulor tibi nuptias*
Tam prosperas et optatas. Antr. *At tu male pereas.* Cor. *Vide,*
Vide amores hîc tuos! Antr. *Non video amores, sed video aliquam*
Hîc meretricem. Am. *Ego vero furciferum.* Cor. *Quaeso hoc sis vide, satin'*
Ut facete atque ex picturâ astitit! Antr. *Sicut veneficam*
Quidem decet. Men. *Si ecastor! hic homo sinapi victitet,*
Non censeam esse tam tristem posse. Cor. *Hem lepidam virgunculam*
Lepidumque mercimonium: quid tibi videtur hoc, Coce?
En filium ante nuptias: quid censes te post nuptias
Habiturum? Am. *Imo, Antrax, puer hic, quem tibi peperi, simillimus*
Tui plane est: qui, ubi natus est, ollas iam poscebat sibi.
Antr. *Perij.* Cor. *Hunc videre saepius exoptabamus diem, Coce,*
Cum ex te esset aliquis, qui te appellaret patrem, evenit: Deo
Gratiam habeo. Men. *Reduc uxorem ac noli advorsari mihi.*
Antr. *Nolo mihi oblatratricem intromittere.* Cor. *Cur non vis? nam liberos*

Procreare lepidissimum opus est. Antr. *Nequam es.* Cor. *Amarylli!* Am. *Quid tibi*
Vis? Cor. *Non times huius aqualiculum?* Am. *Mus non suffocarier*
Sub foeni metâ solet. Cor. *Hîc bene cubabis.* Antr. *Imo perpetim*
Noctem in stramentis pernoctabit. Am. *Quid tum, dummodo tu sies*
Mihi pro stragulo. Antr. *Ego vero castra sequar: nam dudum levis*
Armaturae miles fui. Men. *Imo levissimae.* Cor. *Bene. Nam haec potest*
Te cum ventre tuo e fossis trahere. Puer vero tuus hic recens
Natus erit armiger: gestabit hic peregre clypeum tuum et
Galeam et sarcinam. At hinc tu interim placidissime in tentoriis,
Dum praelium committitur, cubabis cum meretricibus.
Finito praelio ad spolia vel te ad gallinas conferes
Aut sector zonarius eris. Antr. *At tu eris ornamentum patibuli.*
Cor. *Quaeso, Coce, omitte tuam isthanc iracundiam atque ita, uti decet,*
Hilarum atque lubentem te fac in tuis iam nuptiis et hanc
Facito ut ames. Antr. *Ego isthuc videro atque faxo plena sit*
Illa favillis, fumo ac polline, coquendo et verrendo: insuper
Meridie ipso faciam, ut stipulam colligat; ibi hanc meretriculam
Tam excoctam reddam atque atram, quam carbo est. Cor. *Placet. Nunc nunc mihi*
Videre sapere. Sed ubi est tibicen, quique hymenaeum Coco
Cantillet? Men. *Quin domi nunc ipse habet, qua cum canat: aut ubi*
Cantare non vult, saltabit. Antr. *Ego introibo: furcifer vale.*
Men. *Filia, sequere illum!* Am. *Sequar.* — Men. *At quid, mi Corydon, nunc nos agimus?* Cor. *Hoc*
Tibi dicam. Men. *Age dic.* Cor. *Quoniam e re natâ melius fieri non potest*
Quam factum est: ideoque prius nos potabimus, antequam domum
Iverimus. Sic demum defecato animo nos possumus
Abire. Men. *Sic quoque optimum censeo. Sed ubinam hederam aliquam*
Vino vendibili suspensam inveniemus? Cor. *Heri dictum est mihi*
Hîc cauponem aliquem vinum praestantissimum vendere. Sed is
Suo pro vino in singulas mensuras florenum exigit.
Men. *Ergo unica mensura floreno est?* Cor. *Sic aiunt. At, Menalca, tu*

Nescis istiusmodi milvos non uno, sed duplo aut triplo
Plerumque pretio frumentum vinumque vendere? Sed veni,
Videbimus, num vilius in urbe hac offendamus. Men. *Lubet.*

ACTUS QUINTI

SCENA I.

FRIDERICUS CUBICULARIUS.

Trochaici Septenarij.

ÆDepol lassus de viâ sum factus, dum passim aulicos
Consiliarios hinc inde convocavi. Mira sunt,
Ni Rex Carolus motus vult commovere bellicos.
Miror et, cur Eginhardum noluerit huic Senatui
Suo adesse. Profecto haec aliquid monstri alunt. Sed dum forâs
Egrediantur hi, quos dixi, Consiliarij aulici,
Commonstrabo, quo in quemque hominem facile inveniatis loco:
Ne nimio opere sumat operam, si quem conventum velit
Vel vitiosum vel sine vitio, vel probum vel improbum.
Qui periurum convenire volt hominem, mitto in nundinas.
Qui mendacem et gloriosum, aeruscatores visitet.
Patri damnosos apud mercatorum aedes quaerito.
Ibidem erunt, qui non aves, sed aucupant pecuniam.
Stant columbarum praefecti apud forum piscatorium;
In foro infimo boni homines atque dites ambulant.
In medio prope fontem ancillarum spectatores meri,
Confidentes garrulique et malevoli suprâ forum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,
Ei, qui ipsi sat habent, quod ipsis possit vere dicier.
In tonstrinis: ibi sunt, qui novas excudunt fabulas,
Inque balneis: ibi sunt, qui Amoris decumbunt febri.
In tabernis: ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.
Sub vestibulo templorum sunt, qui nil meditantur boni.
Sunt foris meretriculae semper, domi at sunt virgines.
Sed interim fores crepuêre: linguae moderandum est mihi.

ACTUS QUINTI
SCENA II.

IMMA.

In vitâ satin' voluptatum res parva cernitur
Atque in aetate exigundâ, praequam quod molestum id est:
Ita in aetate hominum res comparata est: ita placet Deo,
Ut voluptati moeror comes sequatur et statim
Plus incommodi assiet, si fors boni quid obtigit.
Namque ego id nunc experior de me, voluptas cui data
Est parumper, dum Eginhardum meum potestas mihi fuit
Unicam videndi modo noctem atque is a me hinc ocyus
Ante lucem abijt: sola hîc mihi nunc videor, quia ille abest,
Quem ego amo praeter omnes. Plus aegri ex abitu, pol, illius
Quam voluptatis cepi ex adventu. Quam miserrimam
Credam ego fuisse Penelopam, ex animo quae tam diu
Optimo suo carere viro coacta fuit! quod et
Nunc de meo animo nosco: cuius salus et aureus
Oculus, dum unicam absit horulam, profecto annum integrum
Is videtur abfuisse mihi. Ita Amoris poculum
Accepi: ita uterque utrique est cordi: ita ceu visco tacta sum:
Ita in Amoris ego Meandris et Labyrinthis vagor:
Sic meum ex animo delevi sponsum — nempe Graeciae
Illum Regem: sic meum contra Eginhardum in illius
Substitui locum, quem nec Mors ipsa aliorsum transferet.
Sed quis ille quadratus ficulneusque est Rusticus,
Qui tam lento tamque vacillanti sese hûc movet gradu?

ACTUS QUINTI
SCENA III.

CORYDON. IMMA.

COR. *Holla vos pedes! quid hoc est? siccine hoc fit? hem pedes*
Statin' an non? anne id voltis, ut veluti sus in luto
Me volvam? videbo, num meis pedibus metirier

Sex pedes possim. Non possum. Diabolus vos nequam pedes
Perdat, qui me non portare voltis. Per Faunum, malis
Vos exemplis puniam: ut discalceati per nivem
Ambulandum sit vobis. Profecto vinum, quod bibi,
Vicit: luctator dolosus est: pedes primo capit:
Atque vix bibi unicam mensuram, et iam vertigine
Tecta haec ambulant, meisque res oculis duplicantur. Et
Ille nunc habet pecuniam: ego vero hanc crapulam fero.
Im. Hic homo probe appotus est. Cor. Nunc hûc processi, ut filio
Meo Jack, Doctori, hinc uxorem comparem. Nam si meus
Sociennus Menalcas filiae suae Regis Cocum
Caroli impetrare potuit: cur non ego meo filio
Tam docto et pulcro puero unam aliquam aulicam virgunculam
E gynaeceo hoc in matrimonium dare possiem?
Im. Quid gynaeceum hic loquitur? Cor. Sed hem, quid hîc video? aedepol,
Hanc puellam filio meo nuptam velim: hem tibi,
Quam scitâ, quam liberali facie, quam aetate integrâ!
Non miror, cur Rusticanam nolit ducere filius:
Namque hanc si puellam haberem, delerem ex animo meo
Omnes rusticas puellas: haec Davidem in stragulo
Calfacere iam frigidum potuisset: haec farctum daret
Caligarum: haec vaccas mihi mulgere, haec stabulum possit fimo
Exonerare. Quin adibo ad eam, quin conciliabo, quin
Ipsemet poscam. Quis scit, num gurgite in hoc aliquem queam
Invenire piscem. Im. Num me vult? Cor. Ave puella, ave
Simul et salve! Im. Salve. Quid tibi nunc vis hîc, Rustice?
Memora. Cor. Ut, qui te cupit, eum ne spernas: qui per hanc tuam
Vitam vivit: sit nec ne sit: spes in te una est. Im. Dic, quis est?
Quis cupit me? Cor. Meus gnatus me ad te misit, qui Doctor est,
Quo inter se atque vos affinitatem quove gratiam
Conciliarem. Im. Quomodo? Cor. Te volt uxorem ducere:
Et mihi sententia eadem est: et volo. Im. Quid ais? quid me petit?
Cor. Te compellare et complecti et contrectare. Nam nisi
Tu illi fers suppetias, certe de illo penitus actum erit.
Iam ille animum despondebit: age, mi virgo, fiat ocyus,
Quod te oro, serva illum pulcra pulcre: exprome ex te ingenium

Iam benignum! Im. *Heu, nosco tuum: fors derisum me hûc advenis.*
Cor. *Homo ego sum, homo tu es: ita me amabit Faunus et Diespiter,*
Neque te derisum veni neque dignam puto. Verum hoc tibi
Ut dixi, meus me oravit filius, ut uxorculam
Te sibi poscerem. Im. *Nugas agis.* Cor. *Profecto neutiquam*
Ago nugas: aedepol si meum tu coram aspiceres filium
Doctorem Jack, obviis hunc ulnis acciperes: quia est
Omnium pulcerrimus. Im. *Sic arbitror.* Cor. *Est horarum homo*
Omnium. Im. *Sic autumo.* Cor. *Pol Lynceo est perspicacior.*
Im. *Sic puto.* Cor. *Lusciniae cantus habet.* Im. *Sic audio.*
Cor. *Ex ovo prodijt.* Im. *An gallus is forsitan est?* Cor. *Doctor est:*
Rara autem avis est Doctor. Im. *Credo.* Cor. *Certe esses operculum*
Hac patellâ dignum. Im. *Cur non is puellam rusticam*
Ducit? Cor. *Quanquam illum multae sibi expetissunt: attamen*
Ille illas spernit et abs se omnes segregat extra te unicam.
Im. *Ergo iste metus me macerat, quod ille fastidiosus est,*
Ne oculi eius sententiam mutent, ubi me viderit.
Ita illius elegantia meam extemplo rusticam
Spernat speciem. Cor. *Non faciet: quin bonum habeto animum tu modo.*
Ego tibi nunc ianuam aperio: si nubere vis filio,
Promitte atque hunc annulum illi mitte de digito tuo
Donum. Im. *Quin intra tuam te pellem contineas.* Cor. *Quid hoc?*
Im. *Similes habeant labra lactucas.* Cor. *Nondum intelligo.* Im. *Quin tibi*
Clarius explicabo hoc. Si tuus filius ex te ortus est:
Etiam fac tui similem iste quaerat sponsam. Cor. *Quomodo?*
Im. *Nempe Rusticus Rusticam amet.* Cor. *Nunc demum te intelligo,*
Quid velis. Quid ad me? et ego non tressis homo sum. Tu vale.
Me domum conferam. Adhuc coelum volvitur: quamvis meum
Doctorem Jack haec non curet. Im. *Pol nimis me Rusticus*
Hic ebrius attinuit: puto qualis pater et talem quoque
Esse filium. Sed nonne hûc Eginhardus venit? ipsus est.

ACTUS QUINTI
SCENA IV.

EGINHARDUS. IMMA.

EG. *Nunc ego inter sacrum saxumque sto nec, quid agam, scio:*
Vix sum apud me, ita animus est commotus metu, spe, gaudio,
Maestitiâ et mirando hoc tanto tam repentino malo.
Im. *Proh Deum! quidnam ille commotus venit?* Eg. *Profecto iam,*
Nisi fallit me animus, non multum a me aberit infortunium.
Sic in angustum oppido nunc coguntur meae copiae,
Nisi aliquid video, ne me fuisse in hoc cubiculo
Rex meus sciat: Deusve adsit mihi tanquam ex machinâ.
Im. *Non intelligo, quid loquatur: accedam paullo propius.*
Eg. *Ah miserrime et infelicissime Eginharde! nunc redit*
Ad te solum summa rerum. Tute hoc intristi tibi; hoc
Omne est exedendum. Tu quidem antehac aliis mutua
Dare solebas consilia: at nunc pol neque consilij unicam
Guttulam nec auxilij tu habes copiam: ita absumptus es,
Ita tantae in te impendent nunc ruinae: quas nisi firmiter
Suffulcis, minime potes subsistere: itaque montes mali
Irruunt in te; neque ego iam, quomodo memet desuper
Expeditum ex impedito faciam, scire sat queo.
Im. *Di immortales! quidnam ego credam homini evenisse huic mali?*
Eg. *Multa in unum confluunt locum, quae pectus hoc simul*
Pulsant nostrum; multiplex aerumna exercitum me habet:
Paupertas, Amor, nox, nix, congressio: inprimis mei
Regis iratus animus repentinaque in aulam hodie
Convocatio Consiliariorum et exclusio mei.
Quin ubi meas spes collocem, haut habeo tutum locum.
Im. *Heu quam metuo, ne meus parens negotium hoc sciat.*
Eg. *Cur ego vivo? cur non morior? quid mihi est magis boni*
In vita hac! meum aedepol cor nunc factum est miserrimum:
Quod guttatim contabescit, quasi in aquam indideris salem.
Im. *Miror, quorsum evadat haec oratio; sed audiam.*
Eg. *Lapideus sum: commovere me miser queo neutiquam.*

Res palam omnis est: meo illic nunc fiunt capiti comitia,
Mea nunc facinora aperiuntur, clam quae speravi fore.
Neque vivus neque mortuus sum neque, quid nunc faciam, scio;
Neque ut hinc abeam, neque ut hunc adeam scio: timore torpeo.
Im. *Vae mihi! quidnam animus mihi praesagit hic meus mali!*
Eg. *Sin audierit: quod eius inveniam iracundiae*
Remedium? loquarne? incendam; taceam? instigem; purgitem
Me? laterem lavem: heu me miserum! cum mihi paveo, tum
Imma me excruciat animi: eius me miseret, ei nunc male
Timeo: haec nunc me retinet: namque absque hâc esset, recte ego mihi
Vidissem et Regis mei sat fugissem iracundiam.
Mox mea convasassem atque hinc coniicerem statim in pedes.
Im. *Proh Deum immortalem, quam meus Eginhardus agit fugam!*
Eg. *Ah quâ nunc meam dulcem Immam quaerere insistam viâ?*
Im. *Nominat me: nescio, quid magnum expecto ab hoc malum!*
Eg. *Ut malum hoc meae quoque vitae et amoribus dicam meis!*
Im. *Accedam et vocabo: Eginharde!* Eg. *Quis me vocat hîc?* Im. *Hem mea*
Opportunitas: salve! Eg. *Salve ah mea tu! te, animam meam,*
Desidero, te expecto, te oppido obtulisti hûc obviam.
Im. *Ah quid est? cur trepidas? satis hîc omnia ex sententiâ?*
Eg. *Utinam!* Im. *Quid ais?* Eg. *Heu mihi!* Im. *Quid est? quid trepidas? indica!*
Eg. *Peiore loco res esse non potest quam in quo sita est:*
Perij! Im. *Quare?* Eg. *Actum est!* Im. *Quid isthoc est?* Eg. *Interiimus funditus!*
Im. *Enecas: quamobrem?* Eg. *Rex vidit!* Im. *Quid? me et te.* Im. *Proh Deum!*
Eg. *Osculantem et portantem.* Im. *Heu mihi, quid audio!* Eg. *Totus in*
Fermento iacet. Im. *Quis hoc dixit?* Eg. *Cubicularius modo*
Mecum eius fuit. Im. *Fridericus?* Eg. *Ipsus.* Im. *Hem quid is tibi*
Significavit? Eg. *Integram Regem vigilasse noctem.* Im. *Occidi!*
Eg. *Saepius e fenestrâ prospexisse.* Im. *Nulla, nulla sum.*
Tota, tota ego occidi: metu miserae membra haec tremunt.
Nescio, unde auxilij, praesidij et perfugij mihi
Aut opum nunc copiam comparem vel expetem: horruit

Corpus, cor salit. Tene, tene me! Eg. *Visne aquam tibi,*
Imma, petam? Im. *Heu quid ex te audio? sumne ego apud me?*
aut ubi ego sum?
Quod si eo meae fortunae redeunt, abs te ut abstrahar:
Nulla est mihi vita expetenda! Eg. *Sin meo arbitratu opus*
Hoc, mea Imma, dirigi posset, tecum pol viverem,
Tecum obire vellem! Im. *Nunc rem omnem verbis dixi tribus:*
Tu vale et me serva! nam dolor anxietasque me loqui
Amplius tecum prohibet. Vale. Eg. *Ah mea dilectissima*
(Quod totus metuo) extremum mihi vale, salve atque ave!

ACTUS QUINTI

SCENA V.

EGINHARDUS.

Nunc ego omnium mortalium vere misserrimus
Atque infelicissimus sum. Nec quid agam, certum mihi est.
Immamne adiutem an Regi auscultem? si illam reliquero,
Eius vitae timeo; sin opitulor, huius timeo minas.
Cui verba dare difficile est: iam de amore hoc scio comperit,
Me infensus servat, ne quas in nuptiis nectam moras.
Si sensit, perij; aut si libitum fuerit, causam ceperit,
Quove iure, quave iniuriâ perdat me pessimis
Exemplis modisque. O summe Deus, qui templa maximis
Coelica tonitrubus sonituque concutis: qui hominum genus
Colis alisque: per quem vitale aevum vivimus: penes
Quem spes vitae sunt hominum omnium: da, quaeso, sospitem
Hunc diem meis agundis rebus: tu solus meas
Dubias incertasque res facere liquidas et certas potes.

ACTUS QUINTI
SCENA VI.

CAROLUS MAGNUS. EGINHARDUS.

CAR. *Adeon' rem redisse, ut, qui modo mihi fuit carissimus,*
Nunc eum cane peius atque angue oderim! sed vir bonus
Hic redit quasi re bene gestâ! Eg. *Perij: imprudens a meo*
Rege sum visus. Car. *Videbo, quid velit molirier;*
Simulabo, ac si nil quicquam hodie viderim aut audiverim,
Vultumque lubentem sumam. Eg. *Quid agam? quidve loquar? hoc*
agam,
Quod videtur optimum: ad pedes me Regis supplicem
Proiiciam et me postulabo dimitti, dum tempus est.
Car. *Heus Eginharde, quid hîc agis?* Eg. *Postquam, Rex Celeberrime*
Atque Excelentissime, officiorum sat gravissima
Meorum pondera lubricasque vices, quas tua quondam mihi
Indigno illustrissima imposuit Maiestas, ad mei
Pectoris exactam iamdudum deputavi regulam:
Tunc periculis me mille et occupationibus
Innumerabilibus vel singulis horis ac singulis
Quasi momentis expositum esse ubique video: praemia
Vero et beneficia tantis, quos perfero, sudoribus
Adeo indigna meis rependi cerno, ut si diutius
Tibi, Rex inclite, servire velim, tunc mihi more Herculis
Nil aliud quam maximi labores absque gratiâ
Sint exantlandi. Quapropter his aliisque pluribus
Incitatus causis non possum, quin tibi, Rex inclite,
Hîc supplex fiam atque missionem cum veniâ mihi
A tuâ Maiestate atque Excellentiâ nunc postulem.
Car. *Quid animi tui sit, sat percepi: sed quid sit mei*
Super hac re animi, mox dicam. Nam nunc ego principum
Conventum virûm habebo: cum quibus id, quod postulas,
Accuratius deliberabo. Tu tamen interim
Expecta, ne, cum vocari te iussero, sis in morâ.
Eg. *Ita agam, Rex Clementissime; operiar hîc, sicut iusseras.*

ACTUS QUINTI

SCENA VII.

CAROLUS MAGNUS. CONSILIARII AULICI.

CAR. *Abiit hic. Hinc illae lacrimae: postquam rem clam suam*
Non sperat se habiturum posse, sibi iam est male conscius.
Hûc evasit: missionem postulat, sibi non
Digna beneficia tanto rependi fingit munio.
Ego vero faxo, ut sat dignis afficiatur praemiis.
Sed quantum usurpo oculis, Consiliarios ecce aulicos
Incedentes hûc video in tempore. Nunc vos satellites
Extra carceres consistite, dum ego me collocavero
In curulem hanc sellam et horum quisque suum occupaverit
Subsellium, quibus ordine omne proponam hoc negotium.

Propositio Caroli Magni.

Jambici Senarij.

CAR. *Quod tam repente vos in hoc Palatium,*
Senatores charissimi, vocaverim:
Illud neque extera nec res nostra publica
Aliave, sed privata mea et domestica
Me impulerat: quam et vobis cordi esse intelligo.
Namque salutem frustra Imperator publicam
Conservabit, sin nec sibi nec domui suae
Recte prospexerit. Idcirco, cum iam mea
Domus non mediocri sit infortunio
Petita, vos, dilecti Consiliarij,
Tanquam peritos volui Medicos huic malo
Adhibere: quos vestris scio salubribus
Consiliis et in hoc alioque fidelissimos
Negotio futuros. CONS. *Quantâ, Maxime*

Ac Clementissime Rex, cum promptitudine
Quantâque cum curâ et quantâ cum industriâ
Quisque suam nostrûm curarit provinciam,
Illud silentio nunc impraesentiâ
Involvamus. Quod vero Maiestas Tua,
Clementissime Rex, aliquid infortunij
Perpessa est: hoc non solum nobis omnibus
Dolorem ex aequo concitavit maximum,
Sed et ad medendum et sanandum omne periculum
Tuae Maiestati omnes nervos ingenij,
Omnem curam, imo nos totos sacravimus:
Si modo, Rex inclite, huius infortunij
Summam ordine eloqui non dedignaberis.
Car. *Quanquam dolor ille ingens, qui memet nunc coquit,*
Senatores, sermonibus posset meis
Non exiguam iniicere moram, tamen eloquar:
Quid perturbationis filiae meae
Meique clandestinus amor Notarij
Creaverit quantamque hi ambo infamiam
Labemque Maiestati asperserint meae!
Cons. *Bone Deus, quidnam ex te, Rex Clementissime,*
Audimus! heu quid Secretarius tuâ
Cum filiâ facinoris machinatus est?
Car. *Id, quod amantes solent: quod his ipsum meis*
Vidi oculis. Nam cum summo hodie diluculo
E conclavi prospexissem meo nivem
Stellasque contemplaturus: tunc clanculum
Gynaecei percipio aperirier fores
Simulque quosdam intra illas tenui murmure
Susurrare invicem. Expecto, quid hoc sibi velit.
Virum mox video: miror, quid apud virgines
Viris tam mane sit negotij. Interim
Apertâ totâ ianuâ Notarium
Nostrum Eginhardum cerno amplexantem virginem,
Valedicentem et abire volentem: sese tamen,
Cum multam cecidisse nivem vidit, ocyus
Retrahentem et timentem, ne a vestigiis

Deprehendatur vir in gynaeceo quispiam
Fuisse. Interea, dum expecto paullulum,
Ad quem res tandem perventura sit exitum:
Ecce eo rediit, ut egregia mea filia
Imma Eginhardum in humeros sublatum et pendulum
Aliquandiu per altam portarit nivem.
Quapropter, ô chari Senatores mei,
Cum nunc intelligatis, quinam hoc criminis,
Quave ratione et in quemnam hi deliquerint:
Id vobis mandati omnibus atque singulis
Dabo: ut, quid in hac re mihi agendum siet
Et quam poenam ambo hi commeruerint, ordine
Pro vestrâ declaretis conscientiâ.

Consiliarius I.

L*Icet invitus, Rex omnium Celeberrime*
Atque Excellentissime, meam sententiam
Tuae Maiestati nunc exponam: tamen
Cum non modo severissime mandaveris,
Sed et per singulorum conscientiam
Testatus fueris, ut consilia libere
Nos omnes de Eginhardo tuâque filiâ
Iniremus: quapropter statuo Notarium
Ob scelus hoc furtivosque amores aut crucis
Faciendum contubernalem aut huic iunceâ
Scelestam potione onerandam gulam
Aut vel quovis letho interficiendum malo:
Ut qui Maiestati non parvam infamiam
Suique Regis non exilem filiae
Desponsatae notam maculamque inflixerit.

Consiliarius II.

E*Go sedulo hunc dixisse credo. Verum ita est:*
Quot homines, tot sententiae: suus cuique mos.
Namque ego vitâ Eginhardum privarem neutiquam,

Sed exilio mulctari et hunc.in insulam
Solasve terras mandarem portarier:
Namque satius est dulci privari patriâ
Quam vitae munere privari dulcissimo.

Consiliarius III.

EGo amplius deliberandum censeo.
Res magna est: vel aquâ et igni interdicere viro
Vel et vitâ devolvere mortalem suâ.
Haec res sufflamine eget. Omnia sunt antea
Praecipienda animo, prius e patriae finibus
Aut civitate civis, nedum homo e suâ
Exterminetur vitâ. An forte arbitramini
Statim et primo pedatu ad illam carminis
Horrendi legem prosiliendum, Judices
Mei, esse? i lictor, deliga ad palum, manûs
Astringito, caput obnubito, reste arbori
Infelici suspendito vel honoris huic
Causâ caput amputato: non, non sic licet
In re tam magnâ et arduâ. Non ludicra
Vel levia praemia petuntur. De sanguine
Ac spiritu eius agitur, pro quo Maximus
Redemptor mundi ipse suum effudit sanguinem
Quique Aeterni Creatoris sacram imaginem
Circumfert. Nulla hîc comperendinatio
Longa est. Non, inquam, de vitâ mortalium
Miserorum sic obiter ac perfunctorie
Sententiam feremus decretoriam:
Tanquam si de cucurbitae aut papaveris
Ageremus capite. Non enim hominem exsculpimus
E quercu, nec de publico, pol, suppetit,
Unde usura reparetur lucis. Quare ego
Judicium hoc ampliandum prorsus censeo.

Consiliarius IV.

EGo, Imperator Augustissime, potius
Quae in rem tuam sint, ea velim facias. Mihi
Sic hoc videtur: sin Secretarium
In exilium miseris, ibi omnibus haec erit
Res nota. Sin interfici mandaveris,
Maiorem tibi tuaeque labem filiae
Asperges. Sin dimiseris vivum, omnibus
Malo futurus est exemplo. Hinc ego
Neque illum exilio neque supplicio commode
Debere, sed (ut mea fert sententia) arbitror
Honestius hunc veneno sive in carcere
Aliove obscuro posse interfici in loco.

Consiliarius V.

EGo autem, Clementissime Regum Carole,
Ut aperte ipsam rem loquar et circuitionibus
Nihil utar inque Tuae Maiestatis sinum
Omnem animum hunc effundam meum liberrime:
Quanquam tam doctum tamque prudentem virum
Caeteraque satis fidelem Secretarium
Filiamve castigare ob meritam noxiam
Immane est facinus: verum in aetate utile
Et conducibile est. Nam ego, si Rex essem, hos duos
Concastigarem pro commeritâ noxiâ
Invitus, ne me id invitet, ut faciam, fides.
Nam hic nimium morbus mores invasit bonos:
Ita plerique omnes iam sunt intermortui.
Sed dum illi aegrotant, interim mores mali
Quasi herba irrigua succreverunt uberrime:
Neque quicquam hîc vile nunc est nisi mores mali:
Eorum licet iam messem metere maximam;
Nimioque hîc pluris pauciorum gratiam
Faciunt, pars hominum, quam id, quod prosit pluribus.

Ita vincunt illud conducibile gratiae:
Quae in rebus multis obstant odiosaeque sunt
Remoramque faciunt rei privatae et publicae.
Quapropter, si me dominum sic servus meus,
Si me parentem sic mea filia degener
Deciperet absque omni veniâ, absque gratiâ,
Et servum meum meamque filiam simul
Exemplis, quibus utrique essent dignissimi,
Punirem pessimis. Haec mea est sententia.

Consiliarius VI.

ET ego, Rex inclite, quanto hanc accuratius
Deliberationem evolvo, tanto magis
In hanc, quae modo prolata fuit, sententiam
Tandem manibus pedibusque descendam meis.

Consiliarius VII.

ET ego similiter, Illustrissime Carole,
Eginhardum, qui desponsatam alio filiam
Tuam improbis suis corrumpere moribus
Inque illius noctem integram cubiculo
Clam delitescere et ante exortum diem
Tanquam lumbricus e gynaeceo tuo
Prorepere non erubuit: Eginhardum, inquam ego,
Dedecoris pleniorem facerem nequissimum,
Quam magno vento plenum est undarum mare.

Consiliarius VIII.

IN hac deliberandâ nunc sententiâ,
Augustissime Rex et Imperator Carole,
Animus meus in diversas rapitur hinc et hinc
Opiniones. Sed mihi potissimum
Hoc esse videtur totius palmarium

Negotij: ut nimirum Secretarius
In exilium, ut commeruit, peregre ad ultimas
Terrarum oras detrudatur. Sic censeo.
Quid vero cum Immâ, Rex, tuâ nunc filiâ
Sit agendum, nondum satis in praesens liquet.

Consiliarius IX.

AUgustissime Carole: dum Secretarii
Tui Eginhardi tuaeque filiae improbos
Amores mecum apud animum probe deputo,
Opportune tandem mihi in mentem venit,
Quod de summo olim Caesare Augusto vetus
Historia commemorat: qui vir patientius
Suorum mortem quam dedecora perferre potuit.
Quin Julias, et filiam et neptem, omnibus
Probris contaminatas relegavit: velut
De filiâ suâ absens et dein publice
Libello per Quaestorem recitato statim
Notum Senatui fecit congressuque hominum
Diu prae pudore abstinuit: etiam inde de eâ
Ipsâ hac deliberavit infestâ nece
Afficiendâ. Cumque sub idem tempus suam
Vitam una ex consciis liberta, nomine
Phoebe, tristi finivisset suspendio:
Malle se, ait idem Augustus, vel Phoebes patrem
Fuisse. Relegatae usum vini et corporis
Mox omnem delicatiorem sustulit
Cultum nec adiri a quoquam homine libero
Servove nisi se consulto permisit: et
Quô certior fieret, qua is aetate foret aut
Qua facie, quo colore quibusque corporis
Notis queisque cicatricibus. Et eandem licet
Suam Juliam demum actum post quinquennium
Ex insulâ in continentem lenioribus
Paulo conditionibus ac ante transtulerit:
Tamen, ut omnino revocaret, nullo modo

Exorari potuit. Sic Augustus suam
Punivit filiam, sic neptem: Julias
Utrasque. Qua poenâ afficienda sit tua,
O Magne Carole, Imma, iamnunc ipsemet
Videbis. Sic pro animo meo ego nunc censeo.

Consiliarius X.

QUod exemplar de summo Augusto Caesare
Prolatum est, illud ego arbitror quam maxime
Et in hoc esse exprimendum iam negotio.
Sic meam habes, Rex Augustissime, sententiam.

Consiliarius XI.

AT ego, Augustissime Imperator Carole,
Quô magis hanc rem delibero, eo tandem minus
Possum invenire, quid potissimum mihi
Sit statuendum: nisi unum hoc, quod animo meo
Sedet, affirmare possum me vel perpetuo
Dubitare. Caeterum, sin ego divinitus
Ingentem tuam tibi concessam clementiam,
Si incredibilem tuam consideravero
Simul prudentiam: profecto neminem
In universo posse mundo dicier
Scio, qui de Eginhardi deque tuae nunc filiae
Amoribus prudentius et clementius
Sit iudicaturus quam, Rex ter inclyte,
Tu solus poteris. Haec mea est sententia.

Consiliarius XII.

IDem ego statuo. Tua, Rex Maxime, clementia
Profecto totum hocce negotium hîc aequissimâ
Dispensabit lance. Quid enim his in casibus
Aurea non possit efficere clementia?

Haec est, qua Rex Davides erga filium
Suum Absolonem claruit. Haec, Rex Maxime,
In causâ est, ut Pericles moriens posuerit
In summis laudibus: quod eius operâ et ope
Nemo pullam unquam vestem quondam sumserit.
Haec divina etiam clementia Macedoniae
Regem Philippum Alexandro olim filio
Et maiorem et meliorem fecit. Haec eadem
Et ipsum Julium comprimis Caesarem,
O Carole Clementissime, imperii tui
Genitorem, ad heroas et ad coelum evexerat:
Cum in pugnâ Pharsalicâ in medio ipso turbine
Obequitando clamavit: 'parce civibus,
O miles, parce civibus'. Parce et tu, age,
O Rex Clementissime, tuae iam filiae
Tuoque Secretario. Quod non diu est,
Cum in filio Pipino fecisti tuo,
Qui ter in parentem coniuraverat:
Quem tandem Monachum fecisti. Cur non idem
Jam nunc et in tuâ sis facturus filiâ?

Carolus Magnus.

AUdivi vestras: nunc et vos sententiam
Audite meam. Scitis nos homines casibus
Multis et variis obiectos; scitis quoque
Non semper desperandum esse; sed haec facta, quae
Infecta fieri corrigique non queant,
Divinae committenda Providentiae.
Scitis quoque, Senatores dilectissimi,
Non semper hominem esse, si res non sinat,
Licere, ita ut vult esse. Scitis, quo magis
Illustriores simus, eo magis invidis
Patere nosmet linguis. Scitis denique
Tanquam matura poma, sic quoque nubiles
Puellas custodire plane esse arduum.
Ideoque, ut omnem rem in manum Dei collocem,

Ut bene de Eginhardo sperem deque filiâ,
Ut ambos regali illustrem clementiâ:
Nec hos puniam, nec horum augebo infamiam,
Sed ambos iam iam matrimonialibus
Coniungam vinculis. Sic hanc gravem notam
Specioso honestatis tegam velamine.
Tu, Friderice, Eginhardum meamque filiam
Immam voca hûc utrosque simul maturrime.
Frid. *Fiat, Rex omnium Celeberrime: iam hîc ero.*

Carolus Magnus.

SIC nunc dehinc spero aeternam inter nos gratiam
fore. Nam saepe ex huiusmodi re quapiam et
Malo ex principio magna familiaritas
Conflata est. Quod si hoc Maximus voluit Deus?
Equidem pol in eam partem accipioque et volo.
Quin hanc si rem putem omnem, contumeliae
Non hunc fecisse causâ, sed amoris scio.
Et nunc propterea illis hoc ignosco magis:
Non adeo inhumano ingenio sum satus ego
Neque tam imperito, ut, quid Amor valeat, nesciam.
Et quamvis mea filia iam Regi Graeciae
Promissa sit: tamen, quia nostras filias
Non argento nec auro, sed viris damus:
Quanta stultitia esset, venatum ducere
Canes invitas? quin et hostis est viro
Coniux, invita quae ad virum nuptum datur.
Deniqùe, quid agam? cur me excruciem meque macerem?
Pro horum ego peccatis supplicium nunc sufferam?
Imo habeant potius vivantque hi duo invicem.

Consiliarij.

HUic equidem consilio, Rex Clementissime,
Palmam damus: hîc sese Tua Divinitas
Ostentat: hac virtute praestantissimâ et

Rex Magnus et Rex Maximus vocaberis.
Nullâ equidem dote, nullâ virtute, genere
Nullo mortalitas ad divinae propius
Naturae commigratura similitudinem
Videtur quam miserendo humani facinoris
Et imbecillitatis, quamque erroribus
Ignoscendo, quam obliviscendo iniurias
Ac erigendo lapsos, innocentibus
Salutem dando, calamitosis suppetias,
Opem innocentibus, afflictis solatium.
In hac virtute demum augusta Principis
Maiestas fundamentum positura est suum
Et subditorum substruet reverentiam.
Sed adest Eginhardus; adest, Rex Clementissime,
Et Imma: quam virgineis erubuit genis!

ACTUS QUINTI

SCENA VIII.

CAROLUS. EGINHARDUS. IMMA.
JUDICES. FRIDERICUS.

CAR. *Cur vos duos, tu Eginharde tuque filia,*
In hunc virorum principum vocarim
Conventum: hoc ipsum, nisi fallor, si sanguinis
Recti unicam in pectoribus vestris guttulam
Habetis, vestra vobis consciencia
Jam dixit. Nam nunc propter audacissima
Delicta vestra me hodie inspectorem, hodie
Et accusatorem simulque iudicem
Et vindicem habetis. Quid? tu Secretarie
Eginharde, num tibi hoc probrum diutius
Licere speras facere, ut vivo me patre
Meam hanc filiam habeas prope iam in uxoris loco?
Erras, si id credis, et ignoras mentem meam.

Eg. *Ah Clementissime Rex Francorum Caròle,*
Quid agam? quid inceptem? te per clementiam,
Per hoc diadema, per hoc sceptrum, per hoc caput
Augustum imperiumque tuum, per sanctissima
Christi Jesus vulnera perque misericordiam
Divorum et vivorum, per quidquid undique
Et ubique est: te obtestor, te veneror, te obsecro:
Si quid feci dementi animo, ignoscas mihi!
Unam hanc fac gratiam: unam hanc, quaeso, noxiam
Omitte: me invenire unam hanc sine veniam!
Ita, ut res est, fateor: peccatum maximum
A me est: homo sum, humani a me alienum nihil puto.
Car. *At hoccine mandavi tibi, cum Notarium*
Te feci? hoccine modo hîc rem curatam meam
Offendam? hoccine boni esse officium existumas
Tu servi, ut heri sui is corrumpat filiam?
Nam ego illam corruptam duco, dum his moribus
Et factis studet. At tu quoque, Imma filia,
Male morigera fuisti: haec facta sauciant
Tuam meamque famam: haec et facinora te
Penitus perdunt: his penitus periisti. Nam ego
Illam periisse duco, cui periit pudor.
Im. *Ah ah, ô dilectissime Domine mi pater,*
Ah pater oculissime, misericordiae adhuc locus
Si ullus relictus est, miserere filiae
Tuae, miserere tui una Secretarij!
Stulte fecisse fateor: sed quaeso, pater,
Ne me in stultitiâ, si deliqui, deseras.
Ego animo cupido atque oculis indomita fui:
Persuasum est facere, cuius nunc me facti pudet.
Car. *Prius te cavisse quam pudere aequum fuit.*
Credin' te impune habituram, ut in cubiculo
Tu tecum totam habeas noctem adolescentulos?
Im. *Ah mi pater, mihi hoc ignosce modo unicum!*
Pro peccato magno supplicij paululum
Satis est patri: ah tuae da veniam filiae!
Car. *Ego te meam esse tantisper volo filiam,*

Dum, quod te dignum est, facies. Sed si id non facis,
Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero.
At tu Eginharde et tu filia: quid vobiscum agam?
Quid commeruistis? id Senatores mei
Dixerunt: nempe mortem! sed vobis idem hoc
Vester dicet animus atque conscientia.
Tamen mitem tu Dominum, tu mitem patrem
Videte: ignoscimus — at hac lege, quam loquor:
Tu Eginharde, hanc latricem tuam, quae per nivem
Te portando tam alte succincta gressibus
Incertis tibi sat se morigeram praebuit,
Meam, inquam, filiam uxorem duces tuam:
Quam tibi de nostrâ trado manu in tuam manum.
Nunc demum cum illâ fabulare libere.
Concordes estote et deinceps quoque mutuum
Inter vos ferte. An sic, Eginharde, te satis
Remuneratus sum? an adhuc quereris me tua
Servitia non satis remunerarier?
Tu Friderice, meum hûc intus fac armarium
Feratur, quo sponsos utrosque istos novos
Novo etiam et Regali afficiam donario.
Frid. Hoc ago, Rex inclite. Sequimini satellites!
Eg. O Deus Immortalis, quis unquam talibus
Ut ego remuneratus est donariis?
O Rex Clementissime, quonam clementia
Sese hodie evexit tua? ô Imma, veni hûc, veni hûc,
In genua procidamus: tu es, qui nos pauperes
Divitiis, infelices opibus, perditos
Salute, condemnatos et prope mortuos
Incolumitate, vitâ et beatitudine,
Rex Magne, cumulasti. Tibi nos, quoniam amplius
Nihil possumus, et vitam et animam et spiritum
Et quidquid habemus et quidquid erimus aut sumus,
Tibi, inquam, ô Rex, aeternum consecrabimus.
Quin et ego memoriam tui beneficij,
Rex inclite, sempiternâ benevolentiâ
Colam, non solum dum animâ spirabo meâ,

Sed quoque me mortuo monumenta tui undique
In me beneficij permanebunt. Interim
Et haec, quam mihi rarissima iam Divinitas
Ac Maiestas tua meam sponsam, coniugem
Et vitam esse voluit, a me sic amabitur,
Coletur, honorabitur, ut omnes hoc sciant,
Quantum olim sponsa haec mea dilectissima patrem
In te, imo quantum in patre Deum venerata sit.
Frid. *In medium hûc ponite vos arcam hanc, satellites.*
Car. *Aperi et, quod intus, cedo.* Frid. *Quin, Rex, hoc ago.*
Car. *Tu nunc Eginharde, gener et fili charissime,*
Postquam tibi meam condonavi filiam,
Etiam hunc a me donatum accipe torquem aureum,
Quem collo hîc circumiiciam tuo, et hos annulos
Sine, ut digitis indam tuis; hanc duodecim
Scyphorum synthesin, gutturnium quoque
Cape hoc argenteum et monile hoc aureum;
Capehancpateram, hunc cape cantharum et hoc cape cymbium.
Tibi vero, mea filia, cum sponsa facta sis,
Primo hunc riscum margaritis plenum et aureis
Plenum annulis tibi totum habe: hoc diademate
Caput, monili hoc collum, his mammilliaribus
Pectus et armillis his manûs hisque annulis
Tuos digitos exorna. Inde supellectilem
Tibi intus pretiosissimam cum plurimâ
Dote atque praediis compluribus dabo.
Deum unice veneror, ut copulatio
Haec nuptiarum nova mihi meisque omnibus
Bona, fausta, felix fortunataque accidat.
Eg. *O quas immortales, Rex Maxime, gratias*
Tibi agam et habebo? ah lingua stupet prae gaudio.
Im. *Ah, auree mi pater, quid agam, quidve eloquar?*
Tua, pater, pietas, tua maxima clementia
Plane adiumento et auxilio nobis fuit.
Ah prae laetitiâ lacrymae prosiliunt mihi!
Cons. *At nos non solum, quia res ex sententiâ*
Vobis utrisque successit sponsis, novum

Hoc gratulamur ex animo connubium:
Sed et medullitus vovemus, ut Deus
Sic vos fortunet, ut mox lapso temporis
Spatio ceu florentes vestram palmites
Mensam multi Eginharduli et Immulae ubique ambiant.
Fiat: Amen, Amen. Car. *Amen.* Frid. *Amen.*
Cons. *Interea vero, Rex Augustissime, tua*
Aeternum permansura erit clementia.
Car. *Quin nunc imus et hasce celebramus nuptias.*
Cons. *Ut lubet, ô Rex Augustissime. Quod restat, id*
Dicet Fridericus. Frid. *Nunc dicamus patribus leges censeo,*
Priusquam abeamus, quas leges tenebunt contentique erunt.
Avaritiâ inflatus parens si erit aut si quem scibimus,
Qui in filio vel filiâ locandis tantummodo genus
Amplum aut opulentiam spectaverit virtutemque nihili
Habebit, cum eo nos hac lege agimus, inscitum arbitrabimur.
Dein, si vel filiam meretricem vel puerulo filium
Donatum vel utrosque in coniugio splendido rixarier
Reperiet, eum nos plorare iubebimus, ubi nos ridebimus:
Quia ob improbam avaritiam hoc exemplo Magni Regis Caroli
Nondum sapere voluerit. Interim Poeta noster hic
Novus novam et ridiculam vobis mox dabit Comoediam,
Cui similem nunquam nec stylo nec argumento aut auribus
Aut oculis usurpaveritis. Verum hac lege ubi sponsae novae
Novoque sponso et his novis, quas patribus dixi legibus
Ob patrum industriam, vos huic adolescentes plaudetis fabulae.

IMMAE PORTATRICIS

FINIS.

Sed quoque me m
In me bene
Et h
A

FRIDERICI HERMANNI FLAYDERI

LUDOVICUS BIGAMUS

Comoedia nova et festiva

Acta in Illustri Collegio Tubingae

Anno 1625. 25. Augusti.


Tubingae: Theodorici Werlini

Anno MDCXXV



PERSONAE DRAMATIS

Charitas, agens vices Prologi.
Puer.
Boncompagnus.
Rosina, famula Comitissae.
Comitissa a Gleichen.
Hermannus, servus.
Ludovicus, Comes a Gleichen.
Sultana, virgo Sarracenica.
Carlomannus, servus Sarracenicus.
Falerna, serva Sultanae.
Sigismundus, filius Comitis.
Ludovicus, alter filius Comitis.
Capellanus Comitis.
Nuntius Apostolicus.



PROLOGUS:

CUIUS VICES AGIT CHARITAS.

JAMBICI SENARII.


SAlvere iubeo Spectatores optimos,
Fidem qui maximi facitis: et vos Fides.
Si verum dixi, signum clarum date mihi,
Ut vos mihi esse aequos iam inde a principio sciam.
Nunc, postquam populi rumore intelleximus
Studiose expetere vos Flayderi fabulas,
Festivam illius edimus Comoediam:
Quam vos vidistis, qui estis in senioribus,
Cum Frischlinus eandem ageret stylo Germanico.
Nam iuniorum qui sunt, non norunt scio.
Verum ut cognoscant, dabimus operam sedulo.
Vos omnes opere magno esse oratos volo,
Benigne ut operam detis ad nostrum gregem.
Eiicite ex animo curam atque alienum aes! neque
Hic quis formidet creditorem nunc suum.
Ludi sunt: ludus datus est argentariis.
Tranquillum est: Alcedonia sunt circa forum.
Quapropter aequum est vos eo diligentius
Hanc auscultare, quam agemus nunc Comoediam.
Bonum factum est, edicta ut servetis mea,

Ardelio ne quis in nostro hoc Proscenio
Sedeat neu verbulo dicax hîc mussitet
Neu quadruplator praeter os obambulet.
Diu qui domi otiosi dormierunt, decet
Animo aequo nunc stent vel dormire temperent.
Stulti ne obsideant, doctis ut siet locus.
Nutrices pueros infantes minutulos
Domi procurent neve spectatum afferant,
Ne et ipsae sitiant et pueri pereant fame
Neve esurientes hîc quasi hoedi obvagiant.
Matronae tacite spectent, tacite rideant,
Canorâ hîc voce suâ tinnire temperent:
Domum sermones fabulandi conferant,
Ne et hîc viris sint et domi molestiae.
Aures vacivae si vobis sint, advortite:
Comoediae iam nomen dare vobis volo.
Sed primum igitur, quae ego sim et quinam ille hic siet,
Quem meâ manu hoc duco, dicam, si animum advortitis:
Mihi Poëta nomen Charitatis indidit
Et hunc meum simul hîc adiunxit filium,
Ut instar Hymenaei cum lucenti face
Et vobis et mihi, matri praeiret suae.
Huius ope ego hodie mirandis opus modis
Agam, sin per vos licet, in hoc Proscenio.
Nam Gratias et Charitates hodie,
Et qui ex his sequuntur, mille nuptias
Hinc atque hinc large vobis demensas dabo:
Non modio neque trimodio, verum ipso horreo.
Tantam donabo Charitatis copiam,
Ut quae Dea omnibus ego sim charissima.
Huic argumento antelogium hoc quidem fuit.
Sed hoc agamus, hûc qua ventum est gratiâ.
Et nisi molestum est, nomen dare vobis volo
Comoediae; sin autem odio est, dicam tamen:
Siquidem licebit per vos, quibus est in manu.
LUDOVICUS BIGAMUS *vocatur haec Comoedia*
Latine: Comes duas celebrans simul nuptias.

Nomen iam habetis, nunc rationes caeteras
Accipite: nam argumentum hoc hîc censebitur.
Locus argumento est suum sibi Proscenium:
Thuringia isthaec est in hoc spectaculo
Tantisper, dum transigimus hanc Comoediam.
Hîc habitat Comitissa annos iam nunc plurimos,
Cui matrona similis vix unquam vixerat,
Seu castitatem sive mores optimos
Spectare lubeat. Hanc Ludovicus nomine
Jam multos annos est, cum quondam duxerat
Uxorem et ipsam summo natam stemmate:
Vir castus, pius ac probus, ut Germanum decet.
Hic ergo quondam cum Friderico Caesare
Peregre in bellum profectus Sarracenicum
Ipsâ in Palaestinâ ab fero hostium agmine
Miseris capitur modis, ubi in compedibus et
Ergastulis misere attentus durissimis
Labores mille exantlavit iniquissimos.
Interea Dominus, cui servivit, barbarus
Domi suae habebat filiam pulcerrimam:
Haec saepius ad Comitem servientem visere,
Eum alloqui atque interrogare, quo patre,
Qua patriâ sit prognatus, quove stemmate.
Ut tanto genere et tantis regionibus audiit
Hunc prognatum nec id negavit indoles,
Ecce huic tantum fecit Amor mox incendium,
Ut Comitem in vinculis mediis tam perdite
Amaverit, ut nec noctes nec dies sine eo
Vivere potuerit: quin miserrimi viri
Hanc servitutem praeduram leniverit
Alloquio, blanditiis, solatio, amoribus.
Quibus etiam tandem Comitem eo deduxerat,
Ut et fidem coniugialem promiserit
Et e regionibus isthanc Sarracenicis
Per maria in antiquam patriam Germaniam
Deduxerit, ubi priorem adhuc dum coniugem
Viventem invenit cum duobus filiis:

Ita ut iam nunc diversis in regionibus
Duas hic Comes habuerit una coniuges:
E Palaestinâ alteram, alteram in Thuringiâ.
Quapropter Bigamus hic, quem dudum dixeram,
Hodie cum coniuge alterâ Sarracenicâ
Domum veniet, quem, faxo, mox videbitis.
Quomodo vero a Comitissâ, coniuge alterâ,
Comes acceptus fuerit aut quid in Thuringiâ
Sit factum, postquam mulier Sarracenica
Eo deducta est, quemque exitum res habuerit,
Nunc vobis non dicam. Nam quando attenditis,
Rem omnem haec vobis declarabit Comoedia.
Haec res agetur nobis, vobis fabula.
Sed etiam est, paucis quod monitos vos voluerim:
Profecto expediet fabulae huic operam dare.
Non pertractate facta est, neque item ut caeterae,
Neque spurcidici insunt versus immemorabiles.
Hic neque periurus leno est nec meretrix mala,
Nisi miles gloriosus. Ne vereamini,
Quia bellum modo dixi cum Sarracenicis,
Foris illis extra scenam fient praelia.
Nam hoc poene iniquum est comico choragio
Conari de subito nos agere Tragoediam.
Proin, si quis pugnam expectat, lites contrahat:
Valentiorem nactus adversarium
Si erit, ego faciam, ut pugnam inspectet non bonam
Adeo, ut spectare postea omnes oderit.
Sed ut modo ad vos, Spectatores, dixeram,
Agendi tempus mihi datum est: vobis datur
Potestas condecorandi ludos scenicos.
Nolite sinere per vos artem musicam
Recidere ad paucos: facite, ut vestra autoritas
Meae tenuitati fautrix adiutrixque sit.
Si nunquam avare statui pretium arti meae
Et eum esse quaestum in animum induxi maximum,
Quam maxime servire vestris commodis
Et in Latino adolescentulos idiomate

Bonisque simul exercuisse moribus,
Virtutes implantare, expellere vitia:
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium suum et in se vestram commisit fidem,
Ne eum circumventum inique iniqui irrideant.
Meâ causâ causam hanc accipite et date silentium,
Ut lubeat scribere aliis atque has ediscere
Novas expediat posthac nobis fabulas.
Haec sunt, quae me Poëta iussit eloqui.
Ego ibo: ornabor. Vos aequo animo noscite,
Valete, adeste! ibo: alia fieri nunc volo
Aut alius potius, ut Poëtae placuerit.
Valete atque aduivate, ut vos servet Salus
Et Pietas et Fides et, quae ego eram, Charitas.



ACTUS PRIMI
SCENA PRIMA.

Jambici Octonarii et Trochaici Septenarii.

PUER.

Satis spectatum est Deos atque homines eius negligere gratiam,
Cui homini herus est consimilis, velut ego habeo nunc huiusmodi:
Neque periurior neque peior alter usquam est profecto gentium
Quam herus meus est, neque tam luteus neque tam coeno omni collitus.
Ita me Di ament: vel in lautumiis vel et in pistrino mavelim
Agere aetatem crassis crura praepeditus vinculis
Quam apud Boncompagnum hunc servitutem colere: quod illuc est genus!
Quae illic hominum corruptelae fiunt! o Dii vestram fidem!
Dies quidem iam ad umbilicum est dimidiatus mortuus:
Verum meus herus adhuc altum stertit quinque caput stragulis
Circumvolutus peditque decies et naso, quem habet
Satis longum et rubicundum, ingentem strepitum excitat. O summe Deus,
Vel tandem ab hoc tu libera me Domino insulso, inutili,
Multiloquo, glorioso, stercoreo, impudenti et omnium
Plenissimo periurii atque adulterii! qui pessimus
Ardelio ait sese ultro omnes mulierculas sectarier,
Cum tamen is deridiculus sit, quaqua incedit, plane omnibus.
Ita omnes virgines illum pro asino, pro fungo et caudice
Habent; ita post hunc incurvant ciconiarum mobilia
Colla aut asinorum praelongas agitant false auriculas manu
Aut aestuantem rabiosi protendunt ore linguam canis.
Ille quidem se putat esse militem strenuissimum: cum tamen
Sit fatuus et insulsus et tardus stertatque noctes et dies.
Me tamen unum hoc excruciat, quod plane omnium pauperrimus

Herus mihi obtigit: apud quem neque quod edam neque quod bibam
Usquam invenire possum: adeo male a pecuniâ valet;
Quod hisce manibus hodie exploravi. Nam cum diluculo
Adhuc vix exorto miles meus cacatum forsitan
E lecto se prorueret, ibi me ad eius caligas confero
Et in sacco quaero, quid nummorum suo in marsupio
Concluserit: ibi, per summum Deum, nil nisi meram inopiam
Et araneas ac pulveres inveni: cum tamen undique
Is plenis buccis de die crepet maria et montes aureos.
Sed conticescam; nam nisi fallor, herus vel tandem e stragulis
Sese movit ad surgendum, meridies cum transiit.

ACTUS PRIMI

SCENA SECUNDA.

Eiusdem generis.

BONCOMPAGNUS. PUER.

BON. *Ubi somnum sepelivi omnem atque edormivi hancce crapulam,*
Me nunc exornabo, quo placeam mulieribus. At nescio,
Ubi meus sit puer! Pu. *Adsum here!* Bon. *Quid stas? cur non pectinem mihi*
Hic affers ocius, quo caesariem hanc nostram purgitem?
Pu. *En hic habes, mi Domine, pectinem.* Bon. *At te, trifurcifer,*
Deus perdat: qui cum tam rancido ausus es accedere
Ad me pectine, qui vix duos habet dentes! Pu. *At pulcerrimum*
Sumsi. Bon. *Affer speculum, tu nebulo!* Pu. *At hoc fractum est.* Bon. *Affer tu id modo,*
Nisi a me tua crura simul frangi cupis. At nunc intus ocreas
Meas cedo. Nam quanquam nullum hactenus equum aluerim, tamen,
Ut me autument equestri ex ordine satum, equestrem quoque statum
Sumam. Hem indue: primum dextrum, deinde sinistrum pedem. Sed hem

Tu perversissime nequam! cur affers mihi calcar unicum?
Pu. *An nescis, Domine, quod calcar heri amiseris alterum?* Bon. *At tu lutum*
An nescis, quod tibi mandavi, quo tu aliud par calcarium
Apud mercatorem meo nomine sumeres? Pu. *Id feci ego.*
Bon. *At ubi sunt?* Pu. *Mercator noluit mihi dare.* Bon. *Cur is noluit?*
Pu. *Nimirum dixit, quod nondum priora tu calcaria*
Sibi solveris. Bon. *Tu sterquilinium hominis! hem quid mihi muginas?*
Pu. *Id, quod mercator dixit.* Bon. *At ego, per Deos, perdidissimum*
Mercatorem istum hodie interficiam ob hoc dictum unicum: sine
Modo illum offendam. Ergo exue rursus ocreas. Quid stas? exue
Et tibialia contra mihi cedo. Nam multo satius est
Me tibialibus indutum quam ocreatum et tantummodo unicum
Calcar vel omnino nullum gestare. Sed ubi periscelides
Nunc sumam? sine videam, puer, quales tu habeas! non displicent.
Exue ocius illas nostris cruribus circumligans:
Cras altero tanto formosiores donabo tibi.
Pu. *Ad Calendas forsan Graecas.* Bon. *Hem quid tecum mussitas?*
Pu. *Peniculum quaero, quo pulvere vestimenta liberem.*
Bon. *An nescis nullum hîc adesse? quin manu detergito!*
Quid cunctare? quid intuêris? Pu. *In plicâ haec, Domine, aspice,*
Quam praegrandem quamque obaesum hîc repperi ecce pediculum!
Bon. *Detrunca illum. Porrige limfam, quo manûs recte abluam.*
Pu. *Da manûs: infundam ex ollâ hac. Sed desunt mantilia.*
Bon. *Pallium cedo: hem quid obstat, quo minus vel pallio*
Has manûs siccare possim? sed quid mordes dentibus?
Pu. *Panem, quem, dum dormiebas, mendicando comparo.*
Bon. *Et mihi da frustulum unum.* Pu. *Sordidum nimis illud est.*
Bon. *At mihi candidum videtur: talem maximos Deos*
Semper esse panem oportet. Pu. *At is mendicantis est.*
Bon. *Certe egestas acuit mentem.* Pu. *Quando hoc verum est, omnium*
Tunc ego acutissimus evadam. Namque egeo plus quam satis
Esuriendo, ieiunando. Bon. *Quin modicus vitam cibus*
Prolongat. Pu. *Sic immortalis tandem ero, quia semper est*

Tam modicus mihi cibus, ut plane ex aëre isto victitem.
Bon. *Sed satis nugarum effusum est. Nunc prodeambulavero.*
Me gladio accingam. Tu, famule, pallium cervicibus
His meis apte circumiice. Pu. *Hoc ago, here.* Bon. *At aptissime:*
Ne propendeat videto neve in dexterum latus
Nec sinistrum. Pu. *Pulcre.* Bon. *At specta, num sat ensis dextere*
Pendeat. Pu. *Dexterrime.* Bon. *At quid tibi videtur pileus*
Cristaque pileo defixa? Pu. *Aut Martis aut Achillis hanc*
Homines cristam dicent esse. Bon. *Credo equidem. Sed tempus est,*
Ut Comitissae ad aedes nostrae me gradu apto conferam:
Quae meum cor sauciavit aureo Cupidine.
Cuius ut maritus olim militatum in ultimas
Terrarum peregre ivit oras, annos est iam plurimos.
Nec venturus est. Nam pridem mortuum esse dictitant.
Nunc ego procabor viduam Comitis hanc ditissimam.
Quae quamvis non adeo pulcra sit nec tam sit elegans
Ceu puellae, quas amavi, cum iam essem adolescentulus:
Attamen propter nummorum, quos habet, largissimam
Copiam pecuniaeque vim multo suavissimam
Unicam hanc Comitissam comitem vitae nunc legam meae.
Hanc si fuero nactus, prorsus ut spero, mihi coniugem:
Quam miseros exenterabo et detondebo Rusticos
Ad cutim usque vivam, quantas iniiciam his tunc ungulas!
Sed fores crepuêre. Nam nisi fallor, ancilla ipsamet
Exit: auscultabo, forsan num datum hanc sit alloqui.
Namque disciplina scita est recte et blande affarier
Ancillas primum, qui affectant ipsas ad Dominas viam.

ACTUS PRIMI
SCENA TERTIA.

Jambici Senarii.

ROSINA. BONCOMPAGNUS. PUER.

ROS. *Et hoc et illud recte procurabo, mea*
Domina, mox hîc adero. Sed quisnam miles hîc
Venit? Bon. *Nunc ego graphice facetus fiam et hinc*
Subnixis alis me inferam atque strenue
Et gloriose meos demetibor gradûs.
Ros. *Nequeo videre satis, hîc quis ansatus ambulat.*
Bon. *Magnifice conscreabor.* Ros. *Boncompagnus est.*
E tussi nosco stercoreum isthunc militem:
Vtinam animam exscreasset! Bon. *Ancillam alloquar:*
Salve mea tu! Ros. *Salve et tu miles.* Bon. *Ut valet*
Comitissa, tua Domina, ac mea vita et mea salus?
Ros. *Neque bene neque male.* Bon. *Cur neque bene neque male?*
Ros. *Scilicet quia nescit, num vidua an marita sit.*
Bon. *At ego faciam, ut sciat, quid sit: me specta modo.*
Ros. *Quomodo?* Bon. *Nempe ubi mihi morem gessura est, ibi*
Sciet, inquam, quid sit et quid fuerit. Ros. *Nescio,*
Quid dicas. Bon. *Nondum intelligis?* Ros. *Nondum aedepol.*
Bon. *Ergo dicam. Sin mihi nuptura est, tunc ego*
Faciam, ut, quae sit vidua, illa strenuissimi
Viri coniunx evadat. Anne intelligis,
Quid voluerim? Ros. *Ah miles mi strenuissime,*
Cave hoc verbum ex ore excidat tuo amplius.
Bon. *Cur? quasi non dignus sim et ego pulcrâ coniuge?*
Ros. *Non id dico; sed hoc in viâ est obstaculum:*
Quia elegantia tua et tua formositas
Meae Dominae deforme et inelegans procul
A se abiiciat corpus. Bon. *Egone id faciam? egone hanc*
Spernam, quae sola mihi erit dilectissima,
Quoad vixero? propter quamque ardentissimus

Amor tantum in pectore fecerat incendium?
Pu. *Imo paupertas, frigus in marsupio.*
Ros. *Quin potius eligas tibi iuvenculam*
Pulcram, molliculam, festivam, tenellulam?
Bon. *At meo animo tua Domina omnes virgines*
Intervallo superavit longissimo.
Modo ne me spernat neve se abs me segreget!
Sed scin', quid te velim? Ros. *Nescio; sed tum sciam,*
Cum dixeris. Bon. *Quaeso da mihi operam paullulum:*
Fac, ut ad illam admittar! Ros. *Mos est, ut neminem*
Neque invitemus neque quenquam de ianuâ
Absterreamus, quibus est quid negotii
Apud nos. Bon. *At sin vesper appetit, ad heram*
Confabulatam accedam. Ros. *Mea pol Domina cum*
Nullo virorum sermones solita est caedere,
Ex quo Comes in Palaestinam cum Caesare
Contra Sarracenos peregre profectus est.
Bon. *Quasi vero non libentissime mecum tua*
Domina et mea Salus colloqueretur? Ros. *At quasi*
Vero non meae Dominae ingenium cognoscerem
Multo melius quam tu? sed me nimis moror:
Ibo, quô missa sum. Vale strenuissime
Miles. Bon. *Bene ambula, Rosina, et millies*
Vale. Atque audin' etiam? Veneri meae dicito
Multam meis verbis salutem. Ros. *Cui Veneri?*
Bon. *Nempe Comitissae.* Ros. *Dicam, sin rediero.* Bon. *At hoc*
Etiam audi. Ros. *Quid est?* Bon. *Fac me commendes apud eam.*
Ros. *Faciam, sin meminero.* — Bon. *Illa abiit. Hem sic decet*
Cum ancillis fabulari. Sic fas est militem,
Cui nummi sunt domi limfatici, technas
Opulentis viduis struere: haec cornu copiae
Meum erit: ubi inest, quicquid voluero: haec debilem
Marsupii mei stomachum tibicine
Argenteo fulcire poterit. Sed satis
Hîc ambulavi nunc: me conferam domum,
In lectum; nam non satis hesternam crapulam
Me edormivisse video. Puer sequere! Pu. *Sequor.*

ACTUS PRIMI

SCENA QUARTA.

Comitissa.

QUousque tandem ego infelicissima mulier
In hoc miserabili luctu et tristi statu
Perdurabo? quousque meo dulcissimo
Marito, meo patrono dilectissimo,
Orbata permanebo? quousque coniugem
Desiderabo meum? et iam quartus et decimus
Prope transiit annus, postquam illum desidero
Et expecto. Deus illum perdat pessimis
Exemplis, qui primus commentus est scelus,
Furores bellicos. Bellum est caput omnium
Malorum; bellum est fons tristitiae et ianua
Ad quosvis luctûs et miserias; bello inest,
Quicquid inest inferno, quicquid inest Diabolo.
Namque absque bello si esset, ego non lacrimas
Tot et tantas effudissem nec tam diu
Meo Ludovico carere coyerer optimo.

ACTUS PRIMI

SCENA QUINTA.

Rosina. Comitissa.

ROS. *Nimis me miles attinuit insulsus hic*
Et dentatus. Vix me a stolido atque stercoreo
Homine dissolvere potui. Sed quid Dominam
Meam hic ante aedes video? certe tristis est,
Ut semper solet, ex quo Comes noster peregre
Hierosolymam profectus est. Com. *Ah summe Deus,*
Quando isthanc tandem a me auferes solitudinem

Et orbitatem multo infelicissimam?
Ros. Alloquar illam. Mea Domina: quod mandaveras,
Id omne impetravi. Com. Optime. Ros. Sed quid hera tam
Tristis es? Com. Ah cur non tristis sim? cui tot mala
Totque aegritudines iam diu, quotquot dies
Et singulis prope momentis, se agglutinant,
Ut illorum neque principium neque exitum
Sat invenire possiem. Ros. Sis animo bono:
Quam multa praeter spem multis mortalibus
Bona et felicia evenerunt? Com. At ego etiam,
Qui speraverunt, spem multos evanidam
Decepisse scio. Ros. Quare animus aequus est
Aerumnarum condimentum plane optimum.
Com. Unum hoc me solatur miserrimam, mea
Rosina, quod, licet vir meus charissimus
Et nunquam obliviscendus miles abierit,
Tamen contra capitalem et communem omnium
Christianorum et piorum hostem cum Caesare
Friderico nostro, ut terram sanctam Hierosolymis
Recuperaret, profectus est. Ros. Vera memoras,
Mea Domina. Com. Quare virtus semper optimum
Est praemium: virtus ipsa omnibus anteit
Profecto rebus: virtute salus, vita, res,
Parentes et libertas, patria et liberi
Et prognati servantur: virtus omnia in
Se habet: omnia assunt bona et omnia felicia,
Quem penes unica est virtus. Ros. Recte, mea Domina,
Profecto dicis. Sed licetne mihi aliquid ex
Te quaerere? Com. Cur non liceat? dic modo, quid velis.
Ros. Quot anni iam sunt elapsi, cum coniugi
Ludovico, Domino tuo, valedixisti? Com. Decem
Et quatuor. Ros. Bone Deus, decem anni et quatuor?
Com. Cum ipse interea vivat, valeat, ubi sit, quid agat,
Ecquid agat, neque participat me neque amplius
Redit. Ros. Hoc tamen mirum videtur mihi unicum:
Com. Quodnam illud? Ros. Quia virum absentem perinde habes,
Quasi praesens sit. Com. Pudicitia est et castitas,

Mea Rosina, eum magnifacere, qui me olim sibi
Sociam sumsit. Ros. *At ut dicam nunc, quod sentio:*
Ego illum in vivis non esse amplius arbitror.
Com. *Quomodo hoc scias?* Ros. *Nam si viveret, aut patriam*
Dudum salutavisset aut per nuntium
Significari mandavisset, ubi gentium
Esset reperiendus. Com. *Quanquam expressissime*
Hac nocte insomnis visa sim viderier
Procul sedere longe a me meum coniugem
Neque eum ad me adire neque me magnipendere,
Sed dixisse se habere aliam, quam posthac amet,
Quam diligat, cui nuptialia vincula
Promiserit: attamen, ubi ubi sit gentium,
Investigabo: operae ego non parcam meae.
Ros. *At iterum dico: si viveret, is iam diu*
Inventus esset. Namque si ipsi lampadi
Solis clarissimae quaerendum coniugem
Dedisses, non potuisset accuratius
Investigari quam hic investigatus est.

* * *

Ros. *At quid modi futurum est illum quaerere?*
Hic annus quintus, postquam rei huic operam dedit
Servus, quem iam toties hinc inde emiseras.
Is iam, nisi fallor, toties tibi morem gerens
Modo ad Palaestinos, modo et ad Asiaticos,
Mare supernum omne Graeciamque exoticam
Orasque Italicas omnes, qua egreditur mare,
Totum est circumvectus: si acum credo quaereret,
Acum invenisset, si appareret iam diu.
Hominem inter vivos quaeritat demortuum.
Namque invenisset iam diu, si viveret.
Com. *Ergo isthunc quaero, certum qui faciat mihi,*
Qui sese dicat scire eum esse mortuum:
Operam praeterea nunquam sumam quaerere.
Verum aliter viva nunquam desistam exsequi.
Ego illum scio, quam cordi sit charus meo.
Ros. *In scirpo nodum quaeris. Quin magis eligis*

Alium maritum, cum quo vitam hanc exigas:
Qui te tuosque recte curet liberos.
Com. *Dictum facessas doctum et discaveas malo:*
Molesta ne sis, non tuo hoc fiet modo. Ros. *Hem*
Illoc enim verbo esse me ancillam scio:
Non potuisses paucis plura plane eloqui.
Verum, hera mea, nequeo contineri, quin loquar.
Quid iuvat in frigido lecto te frigidam
Tot annos iacuisse marito demortuo?
Quod si senecta rugas in facie araverit,
Aegerrime tunc invenies tibi coniugem.
Com. *O stulta Rosina: facile, si lubeat mihi,*
Inveniam et peiorem et peius moratum virum
Quam ille fuit; sed meliorem neque ego reperiam
Neque sol videt, sin toto orbe omnes eligas.
Tum denique homines nostra intelligimus bona,
Cum, quae in potestate habuimus, ea amisimus.
Ego, antequam Ludovicus meus profectus est,
Experta quanti fuerit, nunc desidero.
Quapropter, si Ludovicum tandem perdidi,
Omnem spem perdidi, qua me oblectaveram.
Ros. *At hoc nunc metuo, ne servus, quem emiseras*
Quaesitum Comitem, et ipse sit quoque mortuus:
Nam nunquam ad hunc modum ille tam diu abfuit,
Ut qui iam prope quinquennium haut appareat.
Com. *Ergo ego plane ad miseriam nata sum, ut cui*
Malum ex malo, moeror ex moerore pullulat.
Quam felix nunc est, quod dudum mortua est misera
Elysabetha! Ros. *Hera, quaenam?* Com. *Nempe ipsa filia*
Quae fuit Andreae quondam Regis Ungari
Nupta Ludovico olim Thuringiae et Hassiae
Landgravio. Ros. *Cuinam? an illi, quem Comes*
Noster Ludovicus moribundum Brundusii
Reliquit? cuius ossa in hanc Thuringiam
Relata et in Reinhartsbornensi condita
Monasterio nunc requiescunt? Com. *Is ipsus est.*
Namque simul ad duellum Sarracenicum

Tum proficisci voluit. Ros. *Sed eius coniugem*
Elysabetham multo maiora pericula
Sustinuisse scio quam te, mea Domina.
Nam praeterquam quod amisit charissimum
Maritum: matrem suam prius gladii supplicio,
Deinde filium furenti toxico
Statim post nuptias a quadam tradito
Veneficâ (Hermannus qui dictus erat nomine)
Amisit. Ipsa tum praeterea a coniugis
Sui fratre Henrico exuta fuit propriâ
Possessione: quae tamen infortunia
Omnia vix credibili sustulit patientiâ.
Com. *Quare hanc eo feliciorem dico, quia obitâ*
Morte omnibus imposuit malis coronidem.
Quod si meos ego omnium dulcissimos
Filiolos post me non linquerem superstites:
Quid posset mihi contingere exoptatius
Quam si mors, quae ultima linea dicitur omnium
Rerum, et meas finisset vitae angustias?
Sed quid diu hîc moras incassum nectimus?
Ego intro ibo atque orabo, ut Deus his miseriis
Tandem finem imponat suâ pro clementiâ.
Ros. *At ego hîc manebo; nam vocem hominis visa sum*
Me audisse: prius videbo, quid velit. Com. *Ut lubet.*

ACTUS PRIMI

SCENA SEXTA.

Trochaici Septenarii et Octonarii Jambici.

HERMANNUS. ROSINA. COMITISSA.

HERM. *Date viam mihi, noti atque ignoti, dum ego officium meum*
Facio! fugite omnes, abite et de viâ secedite,

Ne quem in cursu capite aut cubito aut pectore offendam aut genu:
Ita nunc subito, propere et celere obiectum est mihi negotium.
Nec quisquam sit tam opulentus, qui mihi obsistat in viâ;
Nec Strategus nec Tyrannus quisquam nec Monasticus
Nec Causidicus nec Jurista nec cum tantâ gloriâ,
Quin cadat, quin capite sistat in viâ de semitâ.
Tum isti Monachi palliati, capite raso qui ambulant,
Qui incedunt suffarcinati cum crucibus, cum imaginibus
Constant, conferunt sermones inter sese cernui:
Obstant, obsistunt, incedunt cum suis oratiunculis,
Quos semper videas bibentes esse in claustris pinguibus.
Ubi quid surripuêre aut ubi quam forsan virginem aucupant,
Sese e claustris proruunt: quos forte ego si offendero,
Ex uno quoque eorum excutiam crepitum piscatorium.
Tum istos quoque Magistellos et Doctores umbraticos
Et Studiosulos novitios omnes subdam sub solum.
Proinde si domi contineant, vitent infortunia.
Ros. *Proh Dii immortales: quemnam conspicio? quis hîc venit?*
Estne hic servus Hermannus, qui missus ab hinc quinquennio
In Palaestinam fuit olim? heus exi, Domina, exi ocius,
Exi, inquam, ocius! Com. *Hem Rosina: quem clamorem exsuscitas?*
Ros. *Servum Hermannum tuum currentem video, illum usque in ultimâ*
Hinc plateâ: hem auscultemus, quid agat. Com. *Sane censeo.*
Herm. *Mercurius Jovis qui nuntius dicitur, nusquam patri*
Nuntium suo attulit tam lepidum et festivum et bonum,
Quam ego nunc meae herae nuntiabo: sic onustum pectus hoc
Porto laetitiâ atque lubentiâ nec lubet quicquam eloqui
Nisi gloriose. Amoenitates omnium Venerum affero:
Ripis superat atque abundat pectus laetitiâ meum.
Tantum Dominae apporto bonum, tam gaudium grande affero:
Vix hera, ni sciat, hoc nunc ipsa exoptare a Diis audeat.
Com. *Nescio, quid novum videtur hic mihi laetarier.*
Ros. *Et mihi videtur esse totus pol laetissimus.*
Herm. *Nunc pergam imperium exequi omne et me domum capescere.*
Sed satin plane video hinc oculis: estne ea annon est? ea est,
Certe ea est, ea est profecto: ô Domina exoptatissima,

Salve! Com. *Salve Hermanne!* Ros. *Salve.* Herm. *Salve et tu Rosinula!*
Com. *Quid gaudes aut ubi te, Hermanne, oblectavisti tam diu?*
Herm. *Me minime oblectavi: sed quô me Domina olim miseras,*
Affero omne id impetratum. Com. *Dic: quid est? cur me tenes?*
Herm. *Nuntium apporto tibi, cuius maxime fieri cupis*
Te participem. Com. *Nunquid forsan de Ludovico coniuge*
Optimo audivisti nostro? Herm. *Valet et vivit!* Com. *Quaeso: ubinam est?*
Herm. *Modo liqui isthunc in viciniâ vivum, salvum et sospitem.*
Com. *I in rem malam: ludis me!* Herm. *Sic me amabit Christus, ut*
Ego vidi illum et liqui. Ros. *Nostrum Comitem?* Herm. *Comitem.* Com. *Ipsum meum*
Coniugem? Herm. *Illum ipsum.* Com. *Maritum?* Herm. *Pol maritum ipsissimum.*
Ros. *O supreme Deus: quid audio!* Com. *Ah Ludovicus meus venit?*
Herm. *Certe.* Com. *Venit?* Herm. *Aedepol.* Com. *Venit?* Herm. *Per Deum.* Com. *Certon'?* Herm. *Hem certissime.*
Com. *Videsis?* Herm. *Sanctâ fide venit.* Com. *Dic: an dixti isthaec verba bonâ*
Tu fide? Herm. *Optimâ. Quid dubitas? nam iamiam Comes aderit hîc,*
Qui meis salutat verbis et Dominam atque filios:
Quod tibi principio dixissem, si sivisset gaudium.
Eaque haec me tibi nuntiare iussit. Com. *Ita est factum?* Herm. *Ita, Domina.*
Quare coniugem venturum hûc cursitans praenuntio.
Com. *O quis fortunatior est me, quis venustatisque adeo*
Plenior? egone te pro nuntio quid donem? quid? quid? aedepol
Nescio. Herm. *Quid? nihil! nam servus sum ego, qui Domini iussa exsequor.*
Com. *Egone? qui me ab Orco mortuam iam reducem in lucem tuo*
Feceris adventu, sinam sine munere a me abire te?
Ah nimium putas me ingratam! Herm. *Quin terimus frustra diem.*
Com. *O Divûm atque hominum Creator et Salvator optime:*
Spem speratam cum obtulisti hanc mihi, tibi gratias ago;
Tu me laetitiâ atque tantis affecisti gaudiis,

Ut meus rediret coniux Ludovicus oculissimus:
Nulla mihi potest res posthac tanta intervenire iam,
Quae mihi aegritudinem afferat: tantum obortum est gaudium
Ipso de coelo delapsum. Ros. *Ah Domina dilectissima,*
Quasi operâ deditâ ipso in tempore Spes tibi sancta subvenit.
Com. *Ah mea tu Rosina, remigrat nunc animus demum mihi.*
Herm. *Sed quid stamus? quid cessamus? mox aderit Dominus meus.*
Com. *Heus ancillae! vos voco omnes! heus Mechtildi, te voco:*
Ecquid audis? vascula intus pure propera atque elue.
Ros. *Di bene vortant! verum ecastor non potest: subitum est nimis.*
Com. *Tu tace atque abi: curata fac sint, cum redeat Comes.*
Coquite, facite, festinate nunc iam totis viribus.
Relinite omnia dolia, omnes serias recludite.
Magnifice volo enim maritum hîc accipere optatissimum.
Sed quid sto? concedam hinc intro atque expectabô, dum venit.
Herm. *Ast ego paulisper morabor aut huic rursum ibo obviam.*

ACTUS PRIMI

SCENA SEPTIMA.

Septenarii Trochaici.

HERMANNUS.

QUam laetam Comitissam feci hoc laeto et hilari nuntio!
Verum ut sunt humana: nihil est perpetuum hominibus datum.
Nam vereor, ne quas turbellas virgo Sarracenica,
Quam Comes Ludovicus secum ducit, forsan excitet.
De qua satius esse putavi hoc tempore conticescere
Quam Comitissae ad aures omnem rem narrare ex ordine.
Nam quantum vidi in viâ usque a Venetiis ad hoc solum:
Hanc tam perdite dilexit ac nactus sit coniugem.
Sed quicquid vel tandem eveniat, me servum minime decet
Id curare: quin, ut dixi, Comiti meo curro obviam.

ACTUS SECUNDI

SCENA PRIMA.

Trochaici et Jambici Hipponactaei.

LUDOVICUS. SULTANA. HERMANNUS. CARLOMANNUS.

LUD. *Salve patria tellus, salve! ô patrii salvete penates!*
Quos post tantum immensum tempus, quos post tot mille labores
Et post tot sudores mille nunc primum aspicio laetus.
Sult. *Ah quot gaudiis triumfat hoc pectus, cum tot magnos*
Multosque itinerum labores totque curas immensas
Tecum, ô vita mea, ô mea lux, ô sol meus et decus et festus
Dies, exantlavi tandem! Lud. *Ah quam defessus paternos*
Lares saluto! Sult. *Certe ego sum tota usque lassa, e navi*
Ut vecta hûc sum: etiam nunc nauseo. Lud. *Quapropter immortales*
Atque aeternas ago gratias Deo Omnipotenti nostro
Meritoque: dum vitalis hic me spiritus movebit,
Habebo agamque gratias, quando omnia evenêre.
Nunc haec nostrâ ex sententiâ. Sult. *Pol sempiternas laudes*
Deo offeram, quia me ex tenebris in lucem te duce duxit.
Lud. *At tu meo semper cordi, ô dulcissima Sarracena*
Et dilecta, et plane infixa et mea tota permanebis.
Imo hanc animam potius linquam et vel linquam memet ipsum
Quam me capiant oblivia tui et tuorum benefactorum.
Te semper, Sultana, amabo: mea nam, ô Sultana, vita es.
Sult. *Age in tuis secundis et me respice nunc vicissim:*
Et me et meum amorem et famam permitto tibi. Tu es iudex: ne
Quid accusandus sis vide. Te sola liberavi,
Te liberatum servabo. Lud. *Tuum mancipium ero semper.*
Nam sola tu fecisti tuis benefactis me florentem.
Sult. *Ecastor te experiar, quanti facias me tuam uxorem.* —
Herm. *Proh Deum, quid audio! Comes etiam hanc duxit uxorem!*
Lud. *Satin' habes, si foeminarum nulla est, quam tam aeque ardenter*
Ego diligam? — Herm. *Proh Deûm atque hominem fidem: quid*
hîc audivi!

Quid hoc est, quod Comes hic meus adhuc vivente hîc Comitissâ
Uxorem Sarracenicam ducit contra omnes mores? —
Sult. *Ah me pauperem et egenam: ne, mi Ludovice, a te expelle!*
Non ego illam mihi dotem duco esse, quam dicunt dotem,
Sed pudicitiam et pudorem et sedatos recte affectûs,
Dei metum et mariti amorem et quicquid virtus probavit,
Tibi morigera atque ut munifica sim bonis atque prosim.
Lud. *Potis es tacere? me potius relinquam quam pusillo*
Vel ioculo te laeserim. Nam me captivum tot annos
Et ponderosas compedes meis pedibus gerentem,
Noctu in nervo custodibus, de die fodientem in agris,
Opere immundo, agresti intentum non tantum liberasti,
Sed liberato nupsisti et nupto tuos parentes
Fortunatos praeposuisti praepositumque per terras,
Per mare, per montes, per saxa, per ignes usque secuta es et sic
Haut ullo merito meo patriae compotem tandem
Me fecisti: quod superabit dotem omnem, omnes thesauros.
Sult. *Nec me unquam huius post favoris poenitebit, dum vivam.*
Sed fere maxima pars perversum hunc homines habent morem:
Quod sibi volunt, dum impetrant, boni sunt; sed si id demum
Penes se habent, ex bonis mali et sunt fraudulenti.
Lud. *Nunquam invenies me promissis aut fide vacillantem.*
Sult. *Nec me invenies de te, meo viro optimo, dubitantem.*
Lud. *Nunc te, mea Sultana, unum oro.* Sult. *Quicquid vis, impetrabis.*
Lud. *Ni molestum est, opperieris paulisper hîc, dum intro ibo.*
Sult. *Lubenter id quidem faciam.* Lud. *Nam primum meam hîc uxorem*
In tempore alloqui fas est, ne forsan pertimescat.
Sult. *Recte ais.* Lud. *Tu, Hermanne, fac sis ad hunc vicinum ducas*
Puellam hanc Sarracenicam cum suâ hac famulâ Falernâ.
Herm. *Hoc ago. Sequimini me euntem.* Sult. *Quin sequimur.* Lud. *Carlomanne,*
Tu mecum ibis. Carl. *Id, here, faciam, ut iussisti.* Lud. *Nunc quo ore appellabo*
Uxorem? quid dicam? an aperte, ut res sese habet, narrabo?
An exorabo coniugem? an dicam hanc captam esse ancillam?

Profecto nescio aedepol, quonam ore, quove affatu
Meam alteram uxorem alloquar: paullo hûc illuc momento
Ita mens impellitur mea nec scio, quid nunc rerum inceptem.
Carl. *Domine.* Lud. *Quid tibi vis?* Carl. *Quisnam hîc venit?* Lud. *Ubinam?* Carl. *Specta hûc dextrorsum.*
Lud. *Ah hûc mea coniux obviam cum filiis processit.*

ACTUS SECUNDI

SCENA SECUNDA.

Trochaici Septenarii.

COMITISSA. SIGISMUNDUS. LUDOVICULUS. LUDOVICUS COMES. CARLOMANNUS.

COM. *Nunc procedamus obviam vestro Domino parenti.*
Sig. *Ut lubet, dilecta mater.* Lud. *O mater dulcissima!*
Com. *Quid, Ludovicule, clamas?* Lud. *Hem! quinam isthic incedunt viri*
Cum novo et peregrino ornatu, cum barbis longissimis?
Sig. *Hem nos intuentur!* Com. *Ah me retine, retine me, obsecro!*
Sig. *Quid tibi, amabo, est?* Com. *Disperii.* Sig. *Perii: quid mater charissima*
Hinc stupes? Com. *Videon' maritum an non? videon' ego coniugem?*
Lud. C. *Coniugem vocabo: hem coniux, ô mea, salve millies!*
Com. *Quis vocat, quis nominat me?* Lud. C. *Qui te conventum cupit.*
Com. *Haut magis cupis quam ego te cupio.* Lud. C. *O mea opportunitas,*
O lux exoptata salve! Com. *Salve: salvum gaudeo*
Te advenire; cedo tuam mihi dexteram: ubi sunt spes meae,
Eloquere obsecro hercule! Lud. C. *Loquere, te obsecro, ubi sunt meae!*
Sig. *Salve mi pater insperate.* Lud. C. *Salve: ut te amplector lubens!*
Lud. f. *Salve mi pater.* Lud. C. *Salve: ah hic nonne meus est Ludoviculus?*

Com. *O salve insperate multis annis, postquam conspicor.*
Lud. C. *O salve et tu, quam dudum ego multis miserisque laboribus*
Usque ad huc quaesivi quamque ego esse inventam gaudeo.
Ut iterum mihi gnatus esse videor, quia te conspicor!
Com. *Ut prae laetitiâ, ut prae gaudio lacrimae prosiliunt mihi.*
Lud. C. *O mea commoditas: quid isthic me toties amplecteris?*
Com. *Ah sine me te amplecti, ô anime: mi Ludovice oculissime!*
Lud. C. *Quid tibi est?* Com. *Tenebrae oboriuntur, genua gaudio succidunt.*
Lud. C. *Nimio gaudio hercle credo.* Com. *Retine, retine me obsecro!*
Sig. *Obsecro tene meam matrem, ne affligatur!* Lud. f. *Obsecro!*
Carl. *Viden', ut expalluit?* Lud. C. *Datin' isti sellam, ubi assidat cito,*
Et aqualem cum aquâ! properatin' ocius! Com. *Animo meo male est.*
Lud. C. *Vin' aquam? tu, Carlomanne, curre intro atque affer aquam!*
Sig. *Ventulum faciam tibi, mater.* Com. *Ah obsecro: quemnam amplexa sum*
Hominem? perii: sumne ego apud me? Lud. C. *Quin intro te inter manûs*
Ducimus languentem, ô coniux multum mellitissima?
Com. *Ut lubet, Ludovice, medullitus ô mihi dilectissime.*

ACTUS SECUNDI

SCENA TERTIA.

Jambici Senarii.

HERMANNUS.

INtro duxi puellam Sarracenicam
Ad hunc vicinum, ut me Comes hîc modo iusserat.
Sed quid hoc, quod isti sic Comitissam inter manûs
Ducunt? nescio aedepol, quid sit; me intro conferam,
Ut videam, quas turbellas isti inceperint.

ACTUS TERTII

SCENA PRIMA.

Jambici Senarii.

CAPELLANUS.

UT aetas haec mea est, ita proferam gradum,
Ita progredi deproperabo. Veruntamen
Id, quam facile sit mihi, non sum falsus, quia
Pernicitas me deserit et sum consitus
Senectute atque onustum hoc vix gero meum
Corpus: vires reliquerunt. Ut aetas mala
Merx est tergo! nam plurimas res pessimas,
Cum advenit, affert: quas si omnes autumem, nimis
Longus sermo sit. Sed non possum me domi
Meae amplius continere: quin celerrimo,
Quo possum, properem cursu, ut Comitem visitem
Meum, quem e peregrinis vel tandem regionibus
Domum venisse modo mea mihi dixerat
Ancilla. Quod quamprimum ex hac audiveram,
Hûc extemplo processi, ut salute plurimâ
Impertirer Comitem: qui me toties suae
Antehac participem mensae vinique fecerat.

ACTUS TERTII

SCENA SECUNDA.

Eiusdem generis.

HERMANNUS. CAPELLANUS.

HERM. *Progrediar, ut puellam Sarracenicam*
Intro ducam, ut meus Comes me iusserat.
Cap. *Sed quisnam est ille ocreatus?* Herm. *Quisnam autem est procul*

Ille tunicatus? Cap. *Hermannus, ni fallor, est.*
Herm. *Si recte memini, iste Capellanus est.* Cap. *Eum*
Adibo. Herm. *Aggrediar ad illum.* Cap. *Salvum gaudeo*
Te cum Comite redisse. Herm. *Salve millies,*
Mi reverende Domine Capellane. Cap. *Quid novi,*
Quaeso, vobiscum fertis ex tam dissitis
Regionibus? Herm. *Nova plurima: sed plus mali*
Quam boni. Cap. *Quîdum? annon vester hûc Dominus Comes*
Salvus et incolumis venit in patriam? Herm. *Optime*
Istuc quidem sese habet. Cap. *An Comitissa forsitan*
Ob adventum illius, quod tamen haut crediderim,
Tristitiam concepit? Herm. *Minime.* Cap. *At dic mihi: quid est?*
Herm. *Libenter isthoc dicerem; sed unicum,*
Ne dicam, obstabit. Cap. *Ergo et hoc dicas velim.*
Herm. *Si nempe nulli hominum mihi promiseris*
Te id dicturum. Cap. *Age sane dic modo: namque lapidi,*
Quicquid dixeris, id omne dixeris. Herm. *Modo*
Clam habeatur. Cap. *Nihil unquam tam clam habebitur*
Quam hoc, quod narrabis mihi. Herm. *Sed antea, mi Domine*
Capellane, unum est, quod iam sciscitarier
Ex te me oportet. Cap. *Sciscitare, quod lubet.*
Herm. *Potestne vir unus duas habere coniuges?*
Cap. *Cur hoc ex me quaeris?* Herm. *Responde mihi prius*
Id, quod rogo: postea et tibi dicam, cur modo id
Ex te quaesiverim. Cap. *Ergo sic respondeo,*
Quod non liceat viro uni habere coniuges
Neque duas neque plures, sed tantum, uti pagina
Expresse in sacris loquitur, unicam: velut
Vox clara Dei nostri hoc comprobat in bibliis:
'Duo erunt in carne unâ'. Quod ipse Christus in
Matthaei decimo nono capite sic repetit:
Qui fecit ab initio hominem, ille masculum
Et foeminam eos fecit dixitque: 'ob hoc homo
Dimittet patrem et matrem quamprimum suam
Et adhaerebit suae uxori et ita erunt duo
In carne unâ'. Herm. *Sed annon antiqui patres*
Habuêre concubinas? ut Abraham cum Agar

Ancillâ habebat olim consuetudinem?
Cap. *Hoc in Veteri Testamento concessum erat:*
Sed nos Novo in Testamento iam vivimus.
Mihi quidem ne unica conceditur: licet
Et ipse uxorem libenter cupiam ducere.
Sed cur, mi Hermanne, me id, quod scis, interrogas?
Herm. *Mi Domine Capellane, id iam tibi, si lubet, ordine*
Dicam. Cap. *Ergo dic! nam me potius sermonibus*
Tuis tam longis et tardis prope enecas.
Herm. *Hoc ago: noster Comes, ut verbo unico omnia*
Eloquar, uxores nunc habet duas. Cap. *Quid ais?*
Herm. *Duas, inquam, uxores Ludovicus Gleichius*
Jam duxit. Cap. *Proh Deum! unde hoc scis?* Herm. *Res ipsamet*
Loquitur. Cap. *Quomodo?* Herm. *Scilicet ubi Sarracenicis*
In oris commoratur, alteram virginem
Molliculam, festivam, scitam, tenellulam
Uxorem duxit. Cap. *Cur ausus id est facere?* Herm. *Cur?*
Forte putavit Comitissam iam esse mortuam.
Cap. *At rem prius exploratam recte oportuit!*
Sed ubi ea est aut unde hoc scis, quod Comes alteram
Illic apud Sarracenos sibi iunxerit
Puellam? Herm. *Id mihi servus, quem secum ex ultimis*
Palaestinorum ad nos hûc oris duxerat,
Modo ordine commemoravit; atque hanc, quam tibi
Dixi, insiticiam uxorem nunc ducam statim,
Ut mihi praeceperat Comes, hinc intro in domum
Nostram: quae opperitur in hac iam nunc viciniâ.
Cap. *O summe Deus, quid audio!* Herm. *Id, quod, mi Domine*
Capellane, res est. Cap. *Sed quidnam tua optima*
Comitissa, quaeso, loquitur ad hoc negotium?
Herm. *Quid illa loquatur, quae est rei ignarissima?*
Cap. *Tu, mi Hermanne, tuis me verbis in maximum*
Redegisti stuporem. At quid putas mihi
Agendum esse, ut qui Comitem voluerim tuum
Peregre advenientem visere et eram iam in viâ?
Herm. *Hoc potes, mi Domine Capellane, facere*
Nihilominus: ne me dixisse censeant

Quicquam. Cap. *Sic faciam et me intro nunc ego conferam.*
Vale, mi Hermanne. Herm. *Et tu vale et fac clanculum,*
Quod dixi, habeas! Cap. *Id fiet: sis quietus modo.*

ACTUS TERTII

SCENA TERTIA.

Septenarii Trochaici.

HERMANNUS.

ABiit hic. Profecto evadet haec nova copulatio
Sarracenicae puellae in aliquod maximum malum.
Sed cur hîc Falernam nostram servam Sarracenicam
Aspicio currentem hûc usque nunc plateâ ex ultimâ?
Opperiar simul ac videbo, quid sibi cursitans velit.

ACTUS TERTII

SCENA QUARTA.

Eiusdem Generis.

FALERNA. HERMANNUS.

FAL. *Progrediar, quô videam, quando Sultanam meam Dominam*
Comes arcessat. Sed nonne istic Hermannum se tempore
Video recipientem ex aulâ? Herm. *Quid, Falerna, curris hûc?*
Fal. *Nempe Sultanam videbo, quando Comes tuus iusserit*
Hinc domum vocari, uxorem quam iamdudum duxerat.
Herm. *Hoc ego faciam: sis quieta. Sed cur dicis coniugem*

Tu esse Sultanam Comitis mei, qui domi ipse coniugem
Habuit, antequam profectus in Palaestinam fuit?
Fal. *Scilicet quia Sultanam meam Dominam in patriâ vinculis*
Matrimonialibus sibi iunxerat firmissimis.
Herm. *Sed forsan putavit esse coniugem demortuam.*
Fal. *Quid tum? quasi vero non fas sit ducere coniuges duas?*
Herm. *Scilicet haec inolevit olim consuetudo barbara*
In Palaestinâ atque saevâ gente Sarracenicâ.
Fal. *Ergo: quando uxorem duxit more Sarracenico,*
Hanc meam Dominam et retinebit. Herm. *Erras pol totâ viâ.*
Nam nec unquam invenies factum hîc in nostrâ Germaniâ,
Ut vir unus pro lubitu habeat uxores simul duas.
Sed quid hîc Rosina ad nos cum Carlomanno cursitat?

ACTUS TERTII

SCENA QUINTA.

Eiusdem Generis.

CARLOMANNUS. ROSINA. HERMANNUS.
FALERNA.

CARL. *Dispeream, nisi Dominus Comes hanc duxit dudum coniugem.*
Ros. *Mentiris profecto, ô stulti mendicabulum viri!*
Carl. *At cur Dominam nostram secum duxit in Germaniam?*
Ros. *Huius rei causam sciat ipse.* Herm. *Quid, Rosina, mussitas?*
Ros. *Quod neque fictum, quod neque pictum nec scriptum in poëmatis*
Inventum est. Herm. *Anne audivisti Comitem Sarracenicam*
Uxorem duxisse? Ros. *Id ipsum hic sycophanta barbarus*
Contra leges persuadere mihi cupit. Carl. *Sic aedepol*
Factum memini. Fal. *Sic profecto est.* Ros. *Tune ea es? dic obsecro!*
Fal. *Non ego, sed mea Domina, quam mox hîc videbis in domo*

Comitis tibimet imperantem: nam te servam esse arbitror.
Ros. *Haec quidem deliramenta loquitur.* Herm. *Paullisper mane,*
Dum edormiscat unum somnum. Ros. *Quaene vigilans somniat?*
Fal. *Equidem ecastor vigilo et vigilans id, quod factum est, fabulor.*
Ros. *Quo id malum pacto potest — nam mecum argumentis puta —*
Fieri, nunc uti adhûc vivente primâ coniuge alteram
Ducat uxorem contra omnes leges? id dici volo!
Carl. *Nil vestras curamus leges. Nostra hera iam Comitissa erit.*
Ros. *Garris: cui neque pes caputve apparet.* Fal. *Quid, venefica,*
Nos diu moraris? tu nunc, quod factum est, facere haut potes
Infectum. Puto te probam esse mulierem. Ros. *Noster Comes*
Nec meretrices nec puellas unquam amat usurarias.
Fal. *Tun' meretrix an concubinam forte putas meam Dominam*
Stemmate regiò prognatam? Ros. *Quae volt casta dicier,*
Illa non maritos sequitur peregre, sed domi manet.
Fal. *Quid, scelesta, fabulare? quod si non mea viveret*
Domina, non tuus Comes unquam aspexisset Germaniam:
Has ob conditiones illam duxit. Nunc rem omnem tenes.
Ros. *An tu stulta putas Comitem meum deserturum coniugem,*
Quam tam perdite dilexit, ex qua filios duos
Suscepit? Fal. *Quid ad nos illud attinet, num liberos*
Comiti procrearit uxor: quin mea hera ipsum liberum
Fecit Comitem servientem. Herm. *Quid stolidae mulierculae*
Inter vos verbis certatis? non vestro hoc fiet modo:
Nostra hera permanebit coniunx Comitis. Fal. *Imo nostra erit*
Domina iam Comitissa. Herm. *Quid tu mulier barbara clamitas!*
Scio te iam bonâ esse voce: meretrix, ne clama nimis!
Fal. *At ego hercle vero clamo!* Herm. *At ego tibi, scelesta, comprimam*
Isthanc linguam, nisi tacebis. Carl. *Sin digito unico hanc tenes,*
Jam ego te faciam, ut hîc formicae frustillatim differant.
Ros. *Me virum natam esse vellem: certe ego iam ostenderem!*
Herm. *Nimis iracunde. Profecto non decet esse superbum hominem*
Servum. Carl. *Imo decet innocentem me servum atque innoxium*
Pro Dominâ esse confidentem. Fal. *Et me servam ipsam pol decet*
Pro Dominâ esse confidentem. Herm. *Nae tua vox valide valet.*
Fal. *Referendae ego habeo linguam isthanc natam semper gratiae:*

Eodem mihi pretio sal perhibetur quo tibi; nam me nisi haec
Defendet, salem non unquam delinget. Herm. *Tace obsecro!*
Tu quidem aedepol larvarum plena es: quid verbis est opus?
Carl. *Tu tace, faber! qui cudere nummos plumbeos soles.*
Ros. *Viden' tu illi oculos virere, ut viridis exoritur color*
Ex temporibus atque fronte? ut oculi scintillant, vide!
Herm. *Video.* Fal. *Sequere hâc, Carlomanne, sequere hâc: egone haec patiar aut*
Haec taceam? emori me malim quam haec non Sultanae indicem!
Anne huic, quae tuum liberavit Comitem, sic mala gratia
Referetur? quae patriam propriam, quae parentes deserens
Hunc secuta est per nives in hanc foedam Germaniam,
Nunc forâs quatietur tandem? me potius vel millies
Suspendas quam tacita haec auferes. Carl. *Tecum ibo.* Fal. *Sequere tu.*

ACTUS TERTII

SCENA SEXTA.

Eiusdem Generis.

COMITISSA. ROSINA. HERMANNUS.

COM. *Nescio, quos rumores aures usurpaverunt meae!*
Sed videon' ego hîc Hermannum stantem cum Rosinulâ?
Nescio quid meditantes ambos. Ros. *Pol Comitissa hîc advenit!*
Herm. *Ubinam?* Ros. *Ad nos hîc rectâ pergit.* Herm. *Quam vereor, ne audiverit*
Hinc nostrum tumultum! Com. *Hermanne!* Herm. *Quid, mea Domina, me vocas?*
Com. *Quas rixas movistis isthic? quid, Rosina, ita tristis es?*
Ros. *Non equidem sum tristis.* Herm. *Certe nil rixarum movimus.*
Com. *Certe ego vidi velitari vos cum Sarracenicis*
Hominibus. Quidnam est? eloquere! dic, Rosina: quidnam id est?
Ros. *Ah hera nescio pol, quae est mulier nostrâ in hac viciniâ.*

Com. *Quae mulier?* Ros. *Rogato Hermannum!* Com. *Dic: quid est? cur sic taces?*
Herm. *Satius est plus scire servum quam loqui: haec sapientia est.*
Com. *Nescio aedepol, quid tu timidus es, trepidas: ita penitus hîc*
Vultum tuum video: vidêre commeruisse aliquid mali.
Herm. *Nil equidem commerui mali.* Com. *Quid stas? dic mihi ocius!*
Certe hic ebrius est, opinor. Herm. *O utinam essem ita, mea Domina!*
Com. *Quae facta, optas.* Herm. *Egone?* Com. *Tu isthic: ubi bibisti?* Herm. *Nusquam equidem*
Bibi. Com. *At heus dic Rosina! quid stas? quaenam est in viciniâ*
Mulier, quam modo dixti? Ros. *Clam te.* Com. *Quid tibi vis? perge eloqui.*
Ros. *Uxorem ferunt duxisse.* Com. *Quemnam?* Ros. *Herum tuum.* Com. *Herum meum?*
Ros. *Sic aiunt.* Com. *Ludovicum?* Ros. *Illum ipsum.* Com. *Quisnam hoc, stulta, somniat?*
Ros. *Quin Hermannum interrogato.* Com. *Dic Hermanne: quid diu*
Me moro moraris more? Herm. *Sic factum est.* Com. *Perii misera!*
Herm. *Nempe servi dicunt Comitem nescio quam mulierculam*
Optimâ fide duxisse, quae ipsum liberavit.
Com. *Proh Dii immortales: facinus indignum et malum!* Ros. *Obsecro,*
Ne te sic macera! Com. *Quis illam vidit?* Herm. *Ego.* Com. *An vidisti eam?*
Herm. *His meis oculis.* Com. *Ubinam? dic.* Herm. *Venetiis, quamprimum herum*
Offendi nostrum: hanc in totâ secum habuit semper viâ.
Com. *Siquidem isthaec sunt vera!* Herm. *Quid, hera, merear, cur ego mentiar?*
Com. *At meus Ludovicus dixit se mihi adolescentulam*
Formâ lepidâ et liberali secum Sarracenicam
Captivam duxisse. Herm. *At ipsam duxisse uxorem ferunt.*
Hanc ob causam me Dominus meus Comes hûc misit ocius,
Ut puellam in aulam extemplo ducerem. Quod nunc ago.
Modo, hera, cura, clanculum ut sint dicta. Com. *Non dictum est.* Herm. *Abeo.*

ACTUS TERTII

SCENA SEPTIMA.

Eiusdem Generis.

COMITISSA. ROSINA.

COM. *Summe Deus, quot me periclis, quot me saevis casibus*
Afflictas miserandam uxorem! an quicquam hodie est indignius
Factum? haeccine erant hae mansiones tam diuturnae coniugis?
Hoccine somnium nunc illud est, quod nocte hac me memini
In somnis vidisse? nempe quod coniux meus alteram
Duxerit uxorem: me prorsus spretâ antiquâ coniuge!
O fors, ô fortuna tristis: quis tandem mali est modus!
Ros. *Quaeso, ne nimium fleas, hera: mitte isthaec suspiria!*
Com. *Ah dulcissima mea Rosina: quid futuram me autumas?*
Sicnam summâ formâ in nostrâ pellicem domo, obsecro,
Aspiciam, cum qua Ludovicus meus maritus postea
Colloquetur? cum qua aderit hîc una in unis aedibus
Et cibum nonnunquam capiet cum eâ: dein propter dormiet?
Sic memet forâs extrudet cum meis mellitissimis
Filiis egenam, inopem atque pauperem? cur vivo? cur
Non morior, quam nunc expunxit concubina barbara?
Sed quicquid mali eveniat mihi, quicquid cogar perpeti:
Id onus omne feram et tolerabo cum Deo, cum patientiâ.
Nam Deus solus mearum est miseriarum remedium.
Ibo intro atque in angulum me tenebricosum conferam
Et meas lacrimas mihi soli consecrabo, dum satis est.
Nam sibi sat flere posse saepe voluptas maxima est.

ACTUS QUARTI

SCENA PRIMA.

Trochaici Septenarii.

SIGISMUNDUS. LUDOVICULUS.

SIG. *Mira sunt, mihi quae narrasti, mi frater Ludovicule.*
Lud. *Sic est, mi Sigismunde: mater intus nil nisi lacrimas*
Effundit sedetque tristis sola solo in angulo.
Sig. *Pro Deum: quid evenisse dicam huic infortunii?*
Lud. *Id profecto nescio: nam mihi noluit isthoc dicere.*
Sig. *Forsan non libenter nostrum Dominum patrem conspicit?*
Lud. *Minime. Nam quam laeto vultu, quam sereno pectore*
Accepit venientem! sed mihi nostra Rosinula clanculum
Aliquid dixit, quod tibi dicam, si nulli vis dicere.
Sig. *Nulli equidem evulgabo, quicquid tu mihi tacite dixeris.*
Lud. *Sed prius iura, quod nulli sis dicturus, quod loquar.*
Sig. *Revera, mi frater, isthuc dispalescet nullibi.*
Lud. *Nos adhuc habemus matrem, quam pater secum attulit*
Ex istis peregrinis oris, e quibus hodie venerat.
Sig. *Deliras profecto, frater!* Lud. *Quin verum tibi fabulor:*
Hanc Hermannus nunc extemplo ad nos ducet materculam.
Sig. *Quaeso, dic mihi: cur tam credulus es, qui prorsus omnibus*
Confestim fidem habeas rebus? Lud. *Cur non isthoc crediderim,*
Quod Rosinula nostra dixit? Sig. *An nescis, quod saepius*
Istos ludos soleat ludere? Lud. *Quin mihi sanctâ fide*
Juravit Dominum parentem secum aliam materculam
Ad nos deduxisse e terrâ hûc usque Sarracenicâ.
Sig. *Quis credat, quod nunquam auditum est!* Lud. *At mox factum id audies.*
Sig. *Nec concedit consuetudo!* Lud. *At istam consuetudinem*
Sarracenicis ex oris noster pater hûc afferet.
Sig. *Nec sacerdos hoc concedet nec supremus Pontifex.*
Lud. *Quid tum? nec sacerdos nec tuus Pontifex valet amplius*

Hic rescindere, quod promissum est terrâ in Sarracenicâ.
Sig. *At fidem cur nuptialem huic, oro, pater promiserit?*
Lud. *Nempe ob liberationem, quam hac a virgine adeptus est.*
Sig. *Deliras manifesto, frater!* Lud. *Tu deliras, qui, quod est*
Omnibus manifestum, negitas! Sig. *Seu verum sit sive non:*
Nunquam ego Dominam nostram matrem contemnam nec deseram.
Lud. *Neque ego id unquam in me admittam: sed nec novam illam deseram,*
At, quam possum, amabo semper, ut quae, ceu Rosinula
Dicit, patrem liberavit: quam quoque formosissimam
Omnium Hermannus dicebat esse. Sig. *Plane stultus es,*
Qui non visam amare gestis! Lud. *Cur non? quae dulcissimum*
Mihi donaverit parentem? cui iam nunc ibo obviam,
Quamprimum illam Hermannus ad nos ducet, hanc statim alloquar,
Hanc salutabo venientem, huic dextram rite porrigam
Et matrem vocabo. Sig. *Sed ego me ad matrem unicam meam*
Conferam moestam, lacrimantem solabor solam et tuam
Stultitiam huic pol indicabo. Sed quis isthic hûc venit?
Lud. *Ubinam?* Sig. *Isthic, viden'?* Lud. *Profecto, ni fallor, venit ipsamet*
Altera nostra mater: ibo, nam hanc videre gestio.
Sig. *I modo: pol tuam nostrae matri iam dicam petulantiam.*

ACTUS QUARTI

SCENA SECUNDA.

Eiusdem Generis.

SULTANA. FALERNA. CARLOMANNUS.
HERMANNUS. LUDOVICULUS.

SULT. *Quas nugas mihi in aurem dicitis! hoc, quod iussi, quin potius*
Procuratis: hem Falerna fac ad nos haec afferas
In domum hanc Comitis, mei sponsi et coniugis dulcissimi.

Fal. *Sic faciam. Ah hera, hîc mane atque in nostram i rursus patriam!*
Sult. *Carlomanne!* Carl. *Quid, hera, me vis?* Sult. *Tu quantum potes, vide,*
Abduc istos e tabernâ actutum diversoriâ:
Tum facito ante solem occasum, ut venias advorsum mihi!
Fal. *Non tu istos mortales novisti, hera?* Sult. *Tace, inquam, nunc iam:*
Mihi dolebit, non tibi, si quid ego stulte fecero.
Tu ancilla es stulta atque inscita, quantum perspexi modo.
Quin multo melius fides et candor nostri coniugis
Mihi perspectus est quam isthaec, quae insimulas, ut ego metuam.
Verum, Hermanne, tecum intro ibo, sin videtur commodum.
Herm. *Ut lubet: quoniam herus sic iussit.* Sult. *Quisnam hic adolescentulus*
Contra nos stat? Herm. *Isthic herilis filius est Ludoviculus.*
Sult. *Ad nos tendit.* Lud. *Ibo et alloquar illam: salve mater millies!*
Sult. *Salve et tu, dulcissime fili, salve! cur me nominas*
Matrem? aut quis tibi dixit, quod sim tua mater? Lud. *Annon ea es*
Virgo, quae Dominum parentem nostrum in patriam reducem
Fecisti? Sult. *Sic est, ita fateor.* Lud. *Magnas ergo gratias*
Pro patre liberato semper referam tibi, quoad vixero.
Sult. *Quin Deo potius dicamus grates multo maximas,*
Qui nos solus liberavit, qui hûc nos solus transtulit.
Lud. *Verum unum ex te orabo supplex.* Sult. *Dic, quid vis, fili optime.*
Lud. *Ut mea sis dilecta mater, ut me habeas pro filio!*
Sult. *Imo meum hoc pectus tibi totum, hoc cor totum tibi consecro.*
Lud. *Et vicissim me totum tibi consecro, optatissima*
Mea mater. Herm. *Sed quid cessamus hîc? quid nectimus moras?*
Sat scio: nos Comes expectabit. Sult. *Ut lubet.* Lud. *Praei: sequar.*

ACTUS QUARTI

SCENA TERTIA.

Jambici Senarii.

PUER.

Nulla est magis aegritudo animo meo obviam:
Imo omnium exul atque inanis hodie
Maestitiarum, calamitatum atque casuum
Sum factus, ex quo peregre hic Comes advenit et
Ego ab hoc stolido Boncompagno et ficulneo
Stipite sum liberatus: apud quem propemodum
Fame sitique enectus fui iniquissimis
Et indignis modis. Nunc me Hermannus modo
Conduxit, servus huius Comitis, ut meâ
Operâ et industriâ hîc in stabulo ephippia
Et frena purgarem, tum stabulum stercore
Equino exonerarem atque hisce strigilibus
Caballonum colla atque caudas pectitem
Aut illorum ungulis vaccina stercora
Pro more equestris dignitatis inderem
Aut foenum avenamque darem et lectum sternerem.
Sed proh Deum immortalem! quemnam isthic procul
Aspicio incedentem? pol Boncompagnus est:
Profecto is est, is est profecto: quantum queo,
Hinc fugiam atque in stabulo me abscondam clanculum
Sub stramenti metâ. Nam si me appenderit
Boncompagnus, caedet me virgis ad necem
Et me duobus obtruncabit ictibus.

ACTUS QUARTI

SCENA QUARTA.

Jambici Senarii et Septenarii Trochaici.

BONCOMPAGNUS.

UT illum Dii perdant, primus qui horas repperit
Quique adeo primus statuit hîc solarium,
Qui mihi comminuit misero articulatim diem!
Nam me puero uterus hic erat solarium
Multo omnium istorum optimum et verissimum:
Ubi iste monebat esse, nisi cum nihil erat.
Nunc etiam quod est, non estur, nisi cum soli lubet.
Itaque adeo iam oppletum est oppidum solariis:
Maior pars populi aridi reptant fame.
Nunc quia mihi est expatiandum, dum tempus it
Coenandi, ut me ad Comitissae mensam conferam; et
Quanquam invocatus accedam, at more militum
Tamen ipse me vocabo: verbis vinnulis,
Venustulis, amatoriis et melleis.
Nece frustra cogar apud vos hîc forsan morarier:
Paullisper vobis curriculum vitae meae
Recensebo. Vos omnes, quaeso, advortite,
Ut pernoscatis, quis Boncompagnus siet.
Postquam igitur mei parentes ludo e literario
Me adolescentulum miserunt olim in Academiam:
Scilicet ut Latinae linguae et praesertim eloquentiae
Fundamentis probe locatis ad studium Politicum et
Corpus Juris me conferrem: hanc sum secutus regulam.
Autores Latinos omnes continuo divendidi,
Ut scholasticis omissis hisce quisquiliis statim
Juridicis exercerem me disputationibus.
Namque cogitabam: quid me literis umbraticis
Detinebo commorantem? quin magis usurarias

Disciplinas pertractabo? quo miserandis Rusticis
Possim exenterare bulgas, detorquere perperam
Jura, pecuniam extorquere, tum viduas emungere
Et pupillos denudare. Hoc primum equidem proposueram. At
Jus culinarium mihi semper melius quam Civile Jus
Placuit et in Institutionibus unicum de Nuptiis
Titulum semel atque iterum legi: inprimis titulos optime
Quosdam ex Digestis ad unguem in memet transformaveram,
Ut sunt: de ventre inspiciendo, de tigno immittendo ut et
De furtis, de concubinis, de agnoscendis liberis,
De iniuriis et famosis libellis, quos quotquot dies
Instar Pragmatici exercebam. Quanquam disputaverim
Theses, quas alius mihi scripserat, de temperantiâ,
Cum tamen fuerim revera nil minus quam temperans.
Has Theses meis amicis misi hinc inde in patriam,
Ut meum profectum et artem singulis ostenderem:
Cum tamen, ceu percepistis, nil quicquam conscripserim
Nec verbum Opponentum ad unum mutus ego responderim.
Quo facto tamen videbar mihi omnium doctissimus:
Ac primum me gladio accinxi aut gladio me potius meo
Alligavi per plateas hinc et inde cursitans:
Aucupatus, elegantes num e fenestris virgines
Forsan prospiciant me euntem, cum quibus mox vesperi
Caederem amabiles sermones, his a mercatoribus
(Sed ne quis forte erret: nummis nunquam praesentariis!)
Praestinavi donavique vittas, cultros, cingula,
Chirothecas, uniones, calceos, peplum, annulos
Et quicquid libenter omnes appetiscunt virgines.
Mox in singulis choraeis, cum forte essent nuptiae,
Studui primas obtinere cum puellis saltitans
Instar rupicaprae aut hoedi aut galligallinacei.
Dein, quamprimum abscondidit atro nox diem crepusculo,
Ibi vagatus per viarum strata perque compita
Stentorem exsuperavi mille vociferationibus
Aut ad ianuas cacavi aut his affixi cornua
Funiculisque ligavi mures, quaqua erant campanulae
Ad domos suspensae; saevis aut lapidationibus

Paedagogorum fenestras exoculavi aut in viâ,
Si qui forsitan lucernas aut faces aut lumina
Praetulêre, hos ense nudo invasi aciem gladii mei
Ad silices explorans, donec concursationibus
Mille confectus me molli commendavi lectulo
Pernoctans aut apud amicos aut in diversoriis
Inque diem somnum usque extendi et edormivi crapulam.
Inde vix expergefactus ipsum ad tempus prandii,
Dum me exorno et pecto et induo, dimidiatus transiit
Jam dies ad umbilicum; mox absumto prandio
Me statim oblectavi mille hinc inde excursionibus
Nec Museum visitavi: ubi totum atramentarium
Aridius stetit quam pumex; ubi aliquot mei libri
Sic muscerdâ, sic muscarum obducti squallebant fimo,
Ut iurasses hos effossos esse e sterquilinio.
Interim tamen simulavi me linguas exoticas
Didicisse, ut passim Gallorum et Italorum vocabula
Linguae inseruerim maternae: sicut erat potissimum
Signorsi, oui monsieur, grandmerci, bascio le mani, a Dio:
Quas voces meo sermoni millies admiscui.
Sed operae pretium est audire, quos quondam in Academiâ
Habuerim hospites diversos. Nam primum vulpeculae
De scholâ sum commendatus, cuius coenâ et prandio
Fruerer; haec me quotquot horis et mensis prope singulis
Importunis increpavit obiurgationibus:
Scilicet ut modestius escas caperem, ut nulli de loco
Pulpamentum abriperem, ut biberem paululum civilius
Nec manûs sic nec sic quadras turpiter perungerem;
Tum, quod maxime vexabat me, ut dictum unum e bibliis
Memoriter recitare vellem mensas ante singulas.
Quod postquam me aegerrime habebat, mensam aliam mihi protinus
Comparo civiliorem. Dico equidem a parentibus
Me missum hûc, quô cum Studiosis discam conversarier
Et varios passim discursûs, praesertim in Politicis,
Nunc audire, nunc movere; quapropter me ad alterum
Contuli hospitem, qui alebat convictores plurimos:
Omnes barbis et machaeris exornatos, qui tamen

Minime mihi arridebant. Nam me nunc Abecedarium
Modo Novitium modo Bacchantem aut denique Caudicem omnibus
Audientibus vocabant exagitabantque usque adeo,
Ut misero mihi ponderosos colaphos passim inflixerint.
Atque hoc maxime erat miserandum, quod nusquam contra hiscere
Fuerim ausus, ni voluissem me totum alapis interfici:
Non secus ac si in Centaurorum venerim convivium.
His perpessis huic quoque mensae constituo valedicere:
Sumtûs immodicos causatus et quod conturbaverit
Nimium rationem vino hospes extraordinario.
Quare satius esse putavi solo in ergasterio
Cum canibus coenare quam sic me tot ictûs perpeti.
Sic demum ad magistrum tandem quempiam me contuli
Simplicem, cadaverosum, palliatum, luridum:
Qui tam sceleratam uxorem habuit, doliarem, edentulam,
Pallidam et suffarcinatam, ut nusquam olus unctiusculum
Nitidiusculamve pultem aut simile quippiam opsonii
In mensam attulerit, sed semper lentes, ciceres, hordea,
Pisa, rapa iure hesterno tam scabiose et rancide
Cocta cum osseâ offâ et vinum tam durum, tam mucidum,
Sulfuratum et adulteratum intulerit: ut sin diutius
Hîc mansissem, in formam vivi mutatus cadaveris
Prae fame fuissem. Tales postquam vel tandem hospites
Non secus atque tempestatem evaseram saevissimam,
In tabernâ mihi convictum indixi diversoriâ
Hîcque interfui omnibus usque compotationibus
Nec tamen persolvi cuiquam simbolum, sed undique
Conflavi grande aes alienum et nescio quem mox rupicem
Nocte sauciavi ad mortem. Tum ex causis praegnantibus
Praeter expectationem quaedam ancilla parvolo
Me puero donavit. Nulla sic sola venit calamitas:
Quare iam accusatus trahor in carcerem e vestigio et
Jam prope mille hinc inde cinctus ibam creditoribus:
Stat caupo, stat bibliopola, stat sutor, stat aurifex,
Linteones, pelliones, bibliopegae, musici,
Pictores, tonsores, balneatores, vitriarii,
Sartores, propolae, lanii, coqui, equisones, aucupes,

Cerdones, cerevisiarii, arcuarii, gemmarii,
Cupedinarii, cytharaedi, tubicines, tibicines,
Cornicines, machaeropaci, mercatores, hospites,
Lychnopaei, casearii, pilicrepi, zonarii,
Pileones, piscatores, oinopolae, equarii,
Pharmacopolae, pistores, Phrygiones, utricularii,
Saltatores, gladiatores astant. Astant mulieres
Hae netrices, hae lotrices, quae sibi aes censent dari.
Astat lectisterniatrix cum schedis, cum syngraphis:
Omnes stant, numerant, consistunt et cupiunt absolvier,
Dumque disputatur ratio et dum spes in alium diem
Prorogatur ab Advocato nostris creditoribus,
Dum volunt reditum expectare nuntii e meâ patriâ,
An forsan sit allaturus, quam petunt, pecuniam:
Tunc ego dies et noctes unice id modo cogito
In custodiâ detentus omnium durissimâ,
Quomodo memet liberare possem e tristi hoc carcere.
Tandem exhaustis animo mille cogitationibus
Hunc astum adhibui: dum custos carceris mihi cibum
Vesperi affert, alloquor hunc: 'ah quam infesto me carceri
Intrusisti! heu quot bufones hinc stabulantur in angulo!'
Custos monstrum hoc admiratus ad me intro venit immemor,
Anne et ipse eos bufones possit intuerier.
Cui dum sic praeeunti monstro, de quo dixeram, angulum,
Ecce huic tam valido ictu colaphum impingo, ut ad terram ocius
Ceciderit: ego ostium mox prehendo, recludo, pessulum
Obdo, abeo atque urbis mox portâ proripio me clanculum.
Is vero integram illam noctem mansit in custodiâ.
Verum ego interim fugiendo nocte, de die abditus
In silvis delitescebam permutatis vestibus
Et barbâ abrasâ faciens me sic plane ignorabilem:
Donec perlustravi terras hinc et illinc plurimas
Creditoribus relictis, quos dixi, in Academiâ,
Multa passus, multa facinora perpetrans, dum postea
Militiam secutus, almo Boncompagni nomine
Nobilitatus in hanc postremo migravi Thuringiam.

ACTUS QUARTI

SCENA QUINTA.

Trochaici Septenarii.

HERMANNUS. BONCOMPAGNUS.

INtro duxi Sultanam: hûc, quid sit futurum, nescio.
In stabulum me conferam. Sed hunc quem video? quisnam is est,
Qui oculis meis obiicitur illic ignorabilis obviam?
Bon. *Nunc quoniam genere eo me dico, me magna decet efficere*
Facinora, ut quae post mihi clara et diu supersint. Herm. *Hem libet*
Scire, quid hic velit sibi cum machaerâ; et huic, quamnam rem agat,
Hinc dabo insidias. Bon. *Nunc tempus est, ut hancce visitem*
Viduam Comitissam. Herm. *Profecto, quae haec sit avis, non sat queo*
Scire, quae hûc cum mantello advenit et cum cristâ in pileo:
Numnam a balneis it forsan circumdictus pallio?
Facies aedepol esse videtur militaris. Bon. *At minime*
Dubito, quin Comitissae palpum tam lepide obtrudam meis
Verbis blandiloquis, venustis, ut statim me hac vesperâ
Sit ductura maritum. Herm. *Quidnam hic de Comitissâ murmurat?*
Bon. *Nam sic faciam, sic consilium est: astute atque callide*
Hanc primum procabor; iamque ubi sponsus ero, igitur demum opes,
Quas Comitissa habet, accumulabo et omnes in me conferam.
His opibus, quacunque incedam, ibi ero omnium festivissimus:
Semper in lepido cubabo lecto et me lepido cibo
Recreabo totum, lepidam complexus mulierculam
Contrectabo, ubi ego confestim Lesbio atque Cretico
Aetatem irrigabo vino annis vetulo atque edentulo.
Rex apud reges perhibebor: post animi causâ optimos
Passim equos mihi comparabo circumequitans cuncta oppida.

Ubi mea fama decusque passim et nobilitas sic clara erit.
Tum magnam arcem exaedificabo, quam Arcem Boncompagniam
Indigitabo e nomine nostro. Herm. *Quamnam arcem hic veneficus*
Sese ait exstructurum? an forsan hanc in ventos exstruet?
Bon. *Sic monumentum famae nostrae et factis immortalibus*
Ibique regnum magnum instituam. Sed nunc intro ibo. At quis hîc
Astat? Herm. *Hunc exploratorem certe perversissimum*
Ludos faciam adeo, ipsum dum se ludos fieri senserit.
Bon. *Forsan est Comitissae servus?* Herm. *Hem quid debetur tibi?*
Bon. *Tua quod nihil refert, id a me percontari desine.*
Herm. *Pol ridiculus es. Sed cur me non salutas tu prius?*
Bon. *An nescis ita militarem disciplinam esse, ut manu*
Benevolentibus salutem mittant, eâdem operâ malam
Malevolentibus rem mittant? sed Comitissa anne intus est?
Herm. *Sic est, quod memini, ubi iussit me te opperiri scilicet.*
Bon. *Quid ais?* Herm. *Id, quod res est. Sed dic, qua venias e patriâ?*
Bon. *Ex illâ, qua eram Imperator summus.* Herm. *Anne ex carcere?*
Bon. *Contumeliam si dices, audies.* Herm. *Anne etiam puer*
Es cubitare in cunis solitus? Bon. *Quid me ludis, furcifer?*
Herm. *Non ludo, sed scire volo, quid apud heram meam tibi sit*
Hîc negotii? Bon. *Quid ad te? quin intro duc me ad tuam*
Comitissam. Herm. *Hoc ago. Sed primo dic, quod sit nomen tuum,*
Ut videam, an sis ille, quem intus Comitissa expectat diu.
Bon. *Boncompagnus sum.* Herm. *Num miles?* Bon. *Ut qui centum millia*
Uno die volaticorum his manibus occidi meis!
Herm. *Quid? num culicum?* Bon. *Imo hominum, inquam.* Herm. *Quid an volaticorum hominum?*
An, quaeso, usquam, Boncompagne, sunt homines volatici?
An forsan sunt Advocati, qui sine pennis nunc volant?
Bon. *Fuerant: sed nunc interfeci cunctos cum pulvisculo.*
Herm. *Quomodo potuisti?* Bon. *Dicam tibi: viscum legioni dedi.*
Herm. *Cui rei?* Bon. *In fundas indebant visci grandiculos globos.*
Herm. *Quid postea?* Bon. *Hôc illos volantes iussi funditarier.*
Herm. *Perge.* Bon. *Quid multis? ut deinde quemque visco offenderant,*

Tam crebri ad terram accidebant quam pira concussâ arbore.
Ut quisque acciderat ligatus, hunc necabam protinus
Per cerebrum suâ sibi pinnâ non secus quam turturem.
Herm. *Mira narras, Boncompagne. Sed mihi dic: pallium*
Quanti hoc conductum est? Bon. *Quid est?* Herm. *Quaeso: haec*
machaera quid meret?
Bon. *Esse tibi opus helleborum video: mitte.* Herm. *Quidnam pileus*
Cristaque haec mercedis hodie domino demeret? Bon. *Hem cui*
Domino? servum te hercule oportet esse nequam et subdolum.
Hominem qui sic peregrinum atque advenam hîc irrideas!
Herm. *At certe te sycophantam credo mendacissimum.*
Bon. *Maledicta hinc aufer, compesce linguam! nam maledicere*
Mihi tu temperabis, si sapis: generi nolo te meo
Iniuste loqui; nam illustri, ut tu sciens sis, stemmate
Sum natus: huius Comitissae sponsus dilectissimus.
Herm. *Cuius Comitissae?* Bon. *Nimirum illius, quae vidua est iam*
plurimos
Annos, ex quo Comes hinc peregre bellum in Sarracenicum
Fuit profectus. Herm. *Quas mihi narras, Boncompagne, fabulas?*
Cur vidua haec Comitissa sit, quae nondum amisit coniugem?
Bon. *Deliras.* Herm. *At tu deliras, qui vigilando somnias.*
Bon. *At cur me vocavit hodie tua Comitissa, ut vesperi*
Secum pol coenarem? Herm. *Quid ais? te Comitissa 'militem'*
Ad coenam vocavit? Bon. *Ita aio.* Herm. *Nempe ut meam heram*
coniugem
Ducas? Bon. *Sic est.* Herm. *At Ludovicus Comes hinc peregre ex*
ultimis
Cum oris venerit, num poteris tu Comitissam ducere?
Bon. *Mentiris: nam Comes hic iamdudum fuit demortuus.*
Herm. *Quid garris insane? abire hinc ni properas grandi gradu,*
Tunc istos fictos, compositos, crispos cincinnos tuos
Unguentatos usque ex cerebro evellam! Bon. *Quanam gratia?*
Herm. *Quia adeo fores nostras unguentatus ausus es accedere*
Quiaque istas buccas tam belle purpurissatas habes
Quiaque tot fundebas uno e spiritu mendacia!
Quid gladio minare, nequam? hem vapula! hem sic vapula!

ACTUS QUARTI
SCENA SEXTA.

Eiusdem Generis.

CARLOMANNUS. PUER. HERMANNUS.
BONCOMPAGNUS.

CARL. *Hem quid hoc est?* Pu. *Boncompagnus vapulat.* Herm.
Heus adeste vos!
Ducite istum; si non sequitur, rapite sublimem forâs!
Facite inter terram atque coelum ut medius sit, discindite!
Bon. *Obsecro hercle, mi bone serve, te!* Herm. *Nequicquam hercle obsecras.*
Certe ego te hodie deprensum defigam in terram colaphis.
Bon. *Perii!* Herm. *Quid? num me mentiri dicis amplius?* Bon. *Interii!*
Herm. *Imo etiam prius verberetur fustibus.* Pu. *Multum quidem.*
Herm. *Cur es ausus de Comitissâ dicere tot mendacia?*
Bon. *Ita me Dii ament, ultro ventum est ad me.* Herm. *Mentitur.*
Bon. *Perii:*
Mane, dum narro. Herm. *Quid cessatis?* Bon. *Non licet mihi dicere?*
Herm. *Dic!* Bon. *Oratus sum ad vos venire hûc.* Herm. *Quare ausus? hem tibi!*
Bon. *Hodie sum satis verberatus: obsecro!* Herm. *Quid hûc tibi*
Ventio est? quid aditio est? tibi quid hanc Comitissam notio est?
Bon. *Ah quod per iocum modo dixi, nolito tu convertere in*
Serium! Herm. *Quid ais? quid mussas feles virginaria?*
Pugnum in os impinge; pugnos tu puer in ventrem ingere!
Pu. *Hoc ago, Hermanne.* Bon *At tu nequam! quid me herum tuum verberas?*
Herm. *Occipito modo huic afferre vim ioculo pusillulum:*
Sic te hinc ornatum amittam, ut quis ipsus sis, non noveris.
Quid Comitissam tu quaerebas? Bon. *Quia viduam esse censui.*
Itaque ancilla, conciliatrix quae erat, dicebat mihi.
Herm. *Mentiris nebulo! quin potius, miles, edico tibi:*
Si in plateâ hac offendero post unquam, quod dicas mihi
'Comitissam quaerebam, hûc intro sum vocatus', ocius

Periisti! non tu hinc abis? Bon. *Abeo: me modo vos mittite!*
Herm. *Scin' tu, ut tibi res se habeat? si quicquam hodie turbae caeperis,*
Faciam, ut huius tu diei meique semper memineris.
Bon. *Obsecro vos.* Herm. *Solvite istum!* Carl. *Solvimus.* Bon. *Da pallium.*
Herm. *De pallio et pileo et machaerâ ne quid speres: non feres.*
Bon. *Ah sinite hinc modo abire vivum.* Pu. *Cedo periscelides,*
Quas mihi furatus olim. Bon. *Hîc sume, puer, periscelides.*
Herm. *Sed nos in stabulum hinc eamus.* Carl. *Ut lubet.* Pu. *Quin vos sequar.*
Bon. *Minime miror, qui insanire occipiunt ex iniuriâ:*
Me sic verberarit, mihi sic invito abstulit mea,
Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.
Eheu sum redactus usque ad has caligas et calceos!
· *Nunquam aedepol me vivum quisquam in crastinum aspiciet diem:*
Nam mihi iam intus potione iunceâ onerabo gulam
Neque ego hoc committam, ut homines me mortuum dicant fame.
Sed quicquid mihi sit factum, illud iure factum iudico.
Si sic aliis fiat, qui puellas tantum divites
Aut viduas locupletes aut dodatas sectari volent:
Minus has res studeant quam passim nunc student. Sed ibo aliô.
Namque ex hac familiâ me plane excidisse intelligo.
Vos vero ne expectetis me, dum per hanc redeam viam.

ACTUS QUINTI

SCENA PRIMA.

Trochaici Septenarii et Jambici Octonarii.

SULTANA.

SPes et opes vitae meae iacent sepultae in pectore:
Nulla magis salus est in meo corde, quin amiserim.
Itaque mihi videntur omnia — mare, coelum, terra — insequi,

Jam ut deserar, ut opprimar. Ah me miseram! quid agam, nescio.
Animo male est: aquam velim: corrupta sum atque absumpta sum.
Caput dolet neque audio neque oculis prospicio satis.
Nec me miserior mulier est neque ulla videatur magis.
Quod cum ab hoc abstrahar hinc Comite, quid restat, nisi porro ego
Ut fiam miserrima? in eum nunc incidi infelix locum,
Ut neque sit eius amittendi nec retinendi copia.
Omnia mala videntur in unam me coniurasse nunc,
Omnibus sum stimulus intus, omnes limis me aspiciunt:
Servi, ancillae, filii; tum ipsa Comitissa, ut audio,
Me fugiens se abscondidit intro; tum sacerdos insuper,
Ut mihi mea Falerna dixit, impium esse dictitat
Uxores duas virum unum iungere matrimonio.
Ah quam lege durâ vivunt hîc viri in Germaniâ
Multoque iniquiore miseri quam in meâ isthic patriâ.
Namque ibi vir duas pluresve impune ducit coniuges:
Quae si consuetudo iamnunc esset in Germaniâ,
Non ego tot gemitûs lacrimasque ex oculis his effunderem.
Namque uxor bona optime quit contenta esse uno viro:
Non tamen vir unâ uxore quit contentus vivere.
Quid agam? quem mihi amicum inveniam misera? aut cui consilia haec referam?
Aut unde mihi auxilium petam? quid agam? abeam an maneam? an adeam
An fugiam? quid agam, aedepol nescio. Nisi quod hoc unum scio,
Quod omnium sum exclusissima: neque in patriâ neque mihi apud hunc
Comitem nil quicquam est loci amplius. Ah plane sum mortua.

ACTUS QUINTI

SCENA SECUNDA.

Eiusdem generis.

FALERNA. SULTANA.

FAL. *Nunc illud est, quod si omnes omnia sua consilia conferant*
Atque huic malo salutem quaerant, auxilii nihil afferant.
Quod mihique heraeque et servo herili est: vae miserae mihi!
Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest:
Vis, egestas, iniustitia, solitudo, infamia.
Hoccine seclum! ô scelera, ô genera sacrilega, ô hominem impium!
Sult. *Me miseram! annon hinc Falernam et ipsam tristem conspicor?*
Fal. *Quem neque fides neque iusiurandum, quem neque misericordia*
Repressit neque reflexit neque quod illum liberaverat.
Sult. *Non intelligo, quid loquatur misera: hem accedam propius.*
Fal. *Me miseram! vix sum compos animi, ita ardeo iracundiâ:*
Nihil est, quod malim quam illam totam familiam dari mihi obviam,
Ut iram hanc in eos evomam omnem, dum aegritudo haec est recens.
Satis mihi id habeam supplicii, dum illos ulciscar modo.
Comiti animam primum ipsi extinguerem, qui nos hûc duxit. At
Capellanum impulsorem, vah quibus illum lacerarem modis!
Sublimem medium arriperem et capite primum in terram statuerem,
Ut cerebro dispergat viam.
Caeteros ruerem, agerem, raperem, tunderem et prosternerem.
Sult. *Ah Falerna, quid minitare?* Fal. *O Domina, non dixi modo,*
Ut confestim hinc te moveres? ut fugias Comitem impium?
Sult. *Ah noli quicquam accusare Comitem Ludovicum meum!*
Fal. *Annon is conceptis verbis tibi iuravit, quod velit*
Te uxorem ducere? Sult. *Me miseram!* Fal. *Cur nunc te sic deserit?*
Alterâ manu fert lapidem, panem ostentat alterâ.
Sult. *Ah noli Comitem accusare: quin, quid agemus, inveni!*

Scio me, in quantis miseriis sim: tu modo confer consilium,
Quid mihi sit agendum. Fal. *O Domina, ecquid sit agendum tibi censeam?*
Nisi hinc fugiamus ocius! Sult. *Quônam?* Fal. *Quaeris? nempe in patriam!*
Sult. *Minime! ô stulta Falerna: quidnam patrem dicturum putas?*
Quove ore matrem meam alloquar? quid ego dicam filia profuga?
Fal. *Imo fuge, quocunque gentium venias!* Sult. *Num ignotis locis*
Ipsa ignota, inops, exspes, extorris hinc inde improbo
More vagabor? non potest. Fal. *Quid ergo, hera, hîc moraris? An*
Pro meretrice et concubinâ aut pellice sic ab omnibus
Vis haberi? non consultum est. Sult. *Quid agam, scio: curriculo i,*
Quaere Carlomannum et hûc cum illo veni! Fal. *Quid agemus?* Sult. *Ad*
Comitis accidamus genua, hunc supplices orabimus
Atque exorabimus, ut, si me non magis suam coniugem
Possit habere, saltem servam esse patiatur. Fal. *Quidnam ais?*
Sult. *I tu, sicut iussi!* Fal. *At vide sis!* Sult. *Dixin'?* Fal. *Ibo et hoc agam.*

ACTUS QUINTI

SCENA TERTIA.

SULTANA.

NEmpe hoc unum adhuc mihi restat remedium misserimae:
Fieri servam, fieri ancillam et me non aedibus eiici.
Sed viden'? Fortuna humana fingitque artatque, ut lubet.
Me, quae libera fueram, servam fecit: e summâ infimam:
Quae imperare insueveram, nunc alterius imperio obsequor.
Sic patriam et patrem et libertatem nunc omnem perdidi:
Sola sum, habeo hîc neminem, neque amicum neque cognatum amplus.
Nunc pergam ad Comitem atque experiar opibus, omni copiâ:
Supplicabo, exobsecrabo, ut quemque amicum videro.
Dignos indignos adire atque experiri certum est mihi:

An possim ancilla fieri huius Comitis, qui me coniugem
In patriâ meâ olim duxit? at si me Ludovicus hic,
Ah olim meus, his, quas praescribo lubens, conditionibus
Nempe ancillam extrudet a se? non inultum deferet.
Est profecto Deus, qui, quae nos gerimus, auditque et videt.

ACTUS QUINTI

SCENA QUARTA.

LUDOVICUS. SULTANA.

LUD. *Non satis Deo immortali possum habere gratias,*
Quod me compotem uxoris meae et filiorum et patriae
Fecit. Nunc haec dudum vestimenta Sarracenica
Exui et me vestibus his Christianis indui;
Tum silvescentem hanc deposui, quam habui, barbam barbaram.
Certe tu Deus mihi solus hanc Sultanam miseras,
Cuius ope auxilioque solo liber tandem evaderem.
Sed nonne isthic est Sultana nostra dilectissima?
Sult. *Ah nonne isthic est Ludovicus noster olim oculissimus?*
Me miseram! quid dicam huic, nescio. Lud. *Quid tu inter verba haec, mea*
Sultana (haut unquam te vidi tristiorem esse hactenus):
Quid, cedo, te tantum abhorret, obsecro dicas mihi,
Hilaritudo? neque munda aeque es, ut soles. Hoc sis vide,
Ut petivit suspiritum alte et pallida es. Dic obsecro
Nobis utrumque: et quid est tibi et quid nostram operam velis?
Ut sciamus, obsecro noli cordolium mihi tuis
Lacrimis imperare! Sult. *Me miseram!* Lud. *Nescio, quid pavitas.*
Sult. *Ah tene me, ne succumbam!* Lud. *Vah, quid morbi est?* Sult. *Nescio.*
Lud. *Quid nemon' medicum hûc adduxit?* Sult. *Nescio.* Lud. *Pro Deûm atque hominum*

Fidem! quid est, si haec non miseria est? Sult. *Adeon' invenustum hominem*
Atque infelicem esse quenquam, ut ego sum? Lud. *Quod verbum audio!*
Sult. *Ita omnes obstinate operam dant, ut me a Ludovico abstrahant.*
Lud. *Oratio haec me miserum exanimavit metu penitissime.*
Sult. *Quod si fit, pereo funditus.* Lud. *Dic: quid tibi est, quam solam amo?*
Sult. *Olim me amabas, forsan alia cura impendet pectori.*
Lud. *Cur non amem te? annon inter nos dudum coniuravimus,*
Ego tecum et tu mecum,ego cum Sultanâ, illa cum Ludovico: nisi
Ego cum illâ aut illa mecum, neuter viveremus? Sult. *Ita aedepol*
Factum memini. Lud. *Ergo quid dubitas de meis promissionibus?*
Sult. *De te nil quicquam dubito, sed . . .* Lud. *Quid vis? eloquere vel mihi*
Dic, quis abstrahat te a me! Sult. *Dic, quis te a me non abstrahat!*
Id equidem prius volo dici. Ah tantum ne me ex aedibus
Eiice tuis! et quanquam non sim tua coniunx amplius,
Te nihilominus amo et exopto et vehementer desidero:
Nam fuisse erga me miro ingenio dudum experta sum.
Tibique exopto, ut reliquam vitam sic fortunatam exigas
Cum priore tuâ coniuge, me quae sit fortunatior:
Quandoquidem te a me diverse distrahit necessitas.
Lud. *Quae necessitas a me te distrahat, dic obsecro!*
Quin nemo me a te divellet nisi Mors. Sult. *Modo ne deseras*
Me desertam, infaustam, extorrem. Lud. *Hem, egone isthuc conari queam?*
Egone te decipi sinam? quae mihi tuum animum iam diu
Atque omnem vitam credidisti? quam ego animo egregie hactenus
Caram pro uxore habuerim: an bene et pudice isthoc tuum
Doctum atque eductum sinam coactum egestate ingenium
Immutarier? non faciam! Sult. *Haut vereor, in te si unico*
Sit situm: sed contra leges ut queas facere? Lud. *Attamen*
Adeon' me ignavum putas? adeon' porro ingratum autumas
Aut inhumanum aut ferum, ut neque me consuetudo neque
Noster amor neque spes commoveat neque commoneat, ut fidem

Servem? Sult. *Unum hoc scio me meritam esse, ut memor esses*
saltem mei.
Lud. *Memor essem? ô Sultana, Sultana: etiamnunc scripta illa sunt*
In animo mihi dicta, postquam me tibi totum credidi.
Te semel accepi, te acceptam servabo: et si nuptias
Pontifex, in cuius iussis hoc situm est negotium,
Nostras, quod nolim, non iubeat veras esse imposterum,
Attamen non secus ac propriam te venerabor coniugem.
Sult. *Non id amplius peto, si modo, quam potes, operam des mihi*
Neu sinas in me insignite fieri tantam iniuriam.
Lud. *Imo operam dabo et defendam et subvenibo sedulo.*
Nunquam te patiar perire: me perire est aequius.
Sult. *Quapropter tibi tota supplex, ô Ludovice oculissime,*
O spes unica, ô salute meâ salus salubrior,
Te per dexteram tuam, nunc dexterâ retinens manu,
Per tuam liberationem, per meam solitudinem,
Per fidem tuam, per filios tuos, per nuptias
Promissas, per lacrimas hasce, quas mille ex oculis fluere
Hîc vides, te obtestor, te oro, te precor teque obsecro,
Si te vel semel in germani fratris dilexi loco
Sive ego te solum in patriâ semper feci maximi
Seu tibi soli morigera fui quondam in rebus omnibus:
Miserere miserrimae Sultanae, miserere egenae virginis!
Me tibi trado non maritam nec sponsam neque coniugem,
Sed servam atque ancillam et famulam et pedisequam tuae coniugis.
Lud. *Ah nimium Sultana hîc esses mihi pretiosa operaria!*
Sult. *Ah dulcissime Ludovice: quid obstat, quo minus hîc serviam?*
Multo libentius apud te in tuâ patriâ abiectissima serva ero
Quam in meâ patriâ sim libera aut sine te vitam exigam.
Scis, quot in patriâ procos habuissem passim regios;
Quos tamen omnes sprevi: tantum ut ibi servo patris mei
Serva servirem: quin ante moriar usque millies,
Quam ut sine te vivam! nec magna portio ero domûs tuae:
Vivas equidem et longum vivas cum tuâ iam coniuge!
Modo ego famula misera possim in obscuro vitam angulo
Degere vel coquendo vel texendo vel verrendo vel
Nendo: modo tua uxor me non exagitet, precor, aut meos

Dilaniet capillos. Unum hoc iterum atque iterum te obsecro,
Ne me deseras aut in me sis tam ferus et ferreus,
Ut me expellas. Satis est posthac dicere posse, quod te amem.
Tu nunc, seu velis seu nolis, solus, ut vivam, facis.
Lud. *Quin ego te cariorem habebo quam meos oculos.*

ACTUS QUINTI
SCENA QUINTA.

CARLOMANNUS. FALERNA. LUDOVICUS. SULTANA.

CARL. *Hem, quid audio? sed isthic cum Sultanâ stat Comes.*
Fal. *Ergo huic supplices ad genua nos sternamus!* Carl. *Ut lubet.*
Lud. *Quid vos vultis?* Fal. *Nunc tibi genua egentes ambo amplectimur:*
Qui in nesciis locis spe nesciâ sumus, ut tuâ domo
Ne nos eiicias, sed serves et Sultanam, si potest
Fieri, nostram Dominam, tantum ancillam in aedibus tuis
Famulari patiare: cui nec locus ullus nec spes superest.
Carl. *Ah Domine Comes, obsecro te, nostram heram ne deseras!*
Lud. *Date manûs mihi atque e vestris genibus ambo exsurgite.*
Tecum, mea Sultana, vivam: tecum pol obeam lubens.
Sult. *O utinam vel tandem absumtos Deus respiciat nos aliquis!*

ACTUS QUINTI
SCENA SEXTA.

COMITISSA. SIGISMUNDUS. LUDOVICULUS.
LUDOVICUS COMES. SULTANA. RELIQUI.

SIG. *Sic faciam, ut iussisti, mater.* Lud. f. *Et ego exobsecrabo nunc*
Nostrum Dominum patrem, ut nos a se non plane segreget.
Com. *Certe ego nunquam credidi fore, ut me vivâ possiet*
Animum inducere alteram habere uxorem. Sed non ipsus hîc

Astat? Lud. f. *Ubinam?* Com. *Ad laevam: et secum continet novam hospitam?*
Sult. *Sed quaenam illic est?* Fal. *Comitissa ipsa venit.* Sult. *Ah quid agam? fugiam hinc!*
Lud. C. *Mane, mane, mea Sultana!* Com. *Ergo nunc, ô filii mei,*
Accidamus ad eius genua! Sig. *Sic agam.* Lud. f. *Ut lubet.* Lud. C. *Quid hoc?*
Surge, ô coniunx! surgite filii! Com. *Ah ne auxilium denega!*
Lud. C. *Surge coniunx!* Com. *Non ego coniunx, here, tibi, sed serva sum.*
Lud. C. *Quid hoc malum infelicitatis? nequeo satis decernere,*
Nisi me credo huic esse natum rei ferundis miseriis.
Sig. *O Domine pater: propter hospitae huius consuetudinem*
Nostram omnium charissimam ne expelle hanc matrem! Lud. f. *O pater,*
Ah auree mi pater, obsecro, ne abigas a te materculam!
Com. *O Ludovice, quanquam ego te amo, possum equidem inducere*
Animum, ne aegre patiar, quia tecum isthaec accubat.
Modo sinas me tuam esse ancillam et hos ex te quondam editos
Filiolos penitus ne excludas! Sult. *O Domina Comitissa, non*
Ego sum coniux Comitis, sed tua potius pauper serva sum.
Com. *Nil opus nobis ancillâ, nisi quae texat, quae molat,*
Lignum caedat, pensum faciat, aedes verrat, vapulet,
Quaeque habeat quotidianum familiae coctum cibum.
Horum tu nunc nihilum quicquam facere poteris admodum
Nec, si posses, paterer: imo tu quia dilectissimum
Coniugem, heu quondam, hunc Ludovicum liberasti et insuper
Nupsisti: per me licet, illum servato tibi: satis est
Me vidisse adhuc semel ante mortem te meum oculissimum
Ludovicum, cuius sin serva imposterum potero fieri
In tenebris vitam exigens, ero omnium contentissima.
Sult. *Non patiar: ego ancilla ero.* Com. *Verum ego, non tu, posthac serva ero.*
Lud. *Ah meae Dominae, quid tantum concertatis invicem!*
Quid ex me petitis, quod non in meâ potestate est situm?
Quin quicquid decernet veneranda hinc Pontificis Sanctitas,
Illud est faciendum nobis. Com. *Quicquid decernet, tamen*

Te non deseram ancilla. Sult. *Et ego semper servio tibi:*
Nec mihi Pontifex prohibebit, quo minus tua serva sim.
Lud. f. *Quaeso, pater, retineas utrasque! vel tibi si non displicet,*
Fac mihi pro matre dones hanc peregrinam virginem.
Lud. *In id redactus sum loci, ut, quid agam illis, prorsus nesciam.*

ACTUS QUINTI

SCENA SEPTIMA.

ROSINA. HERMANNUS. RELIQUI.

ROS. *Si illi pro herâ suâ potuerunt Comiti fieri supplices,*
Cur non pro nostrâ Dominâ et nos fiamus Comiti supplices?
Herm. *Fiat! iustum oras, Rosina.* Ros. *O Domine Comes: ex intimis*
Nos supplices visceribus te rogamus, ut piissimam
Castissimamque heram nostram, quae te tanto desiderio,
Dum peregre abfuisti, expectavit, ne prosus deseras!
Herm. *Aut filios, ô Domine, neu contemnas mellitissimos!*
Lud. *Et vos me obtunditis? et vos enecatis me? quid hoc rei est?*
Sperabam me habiturum duas uxores, sed nedum unicam
Nunc habeo: ambae ancillae certant fieri, ut verba harum audio.
Non equidem in patriam sum vectus, sed etiam in solum locum
Orasque ultimas: ita ubi nunc sim, profecto nescio.
Heu me infelicem et miserum! hancce ego vitam parsi perdere?
Haccine causâ ego eram tantopere cupidus redeundi domum? cui
Quanto fuerat praestabilius ubivis agere gentium
Aetatem quam hûc rediisse! heu vix contineo nunc lacrimas:
Nequicquam mare subterfugi saevis tempestatibus!
Equidem iam me censebam esse in patriâ atque in tuto loco:
Verum video nunc me ad saxa ferri saevis fluctibus.
Me miserum! foris prae fletu non possum stare amplius.
Sult. *Ivit intro: nunc ego sum plane desertissima.*
Com. *Quin potius ego et hi filii sumus omnes exlusissimi.*

Sult. *Nec ulla specula est amplius, quae aliquam salutem mihi afferat.*
Sed quis hic est, qui rectâ plateâ cursum hîc tendit suum?
Et illud paveo et hoc formido: ita tota sum misera in metu.

ACTUS QUINTI
SCENA OCTAVA.

NUNTIUS APOSTOLICUS ET RELIQUI.

NUNT. *Hi loci sunt atque hae regiones, nisi fallor, ubi Comes Ludovicus habitat Gleichius, ad quem fero hasce literas.*
Sed eccum, quae ex incerto faciant, mihi quod quaero certius,
Et quantum oculis coniecturam capio, haec Sarracenica
Mulier ipsa est, cuius gratiâ me hûc legavit Pontifex.
Alloquar hanc: mea virgo, salve! Sult. *Mi vir, salve!* Nunt. *Quaeso, ne*
Te pigeat loqui, quod rogo. Sult. *Roga, quid vis, mi vir: ero*
Ad respondendum parata. Nunt. *Nonne es sponsa Gleichii*
Ludovici, qui peregre tandem rediit in Thuringiam?
Sult. *Ah mi vir, cur me miseram istoc verbo sic ludos facis?*
Nunt. *Id Deus prohibeat, ut ludos te faciam! modo coniugem*
Mihi dicas velim Ludovici Comitis hinc Gleichensium.
Sult. *Haec ea est Comitissa.* Com. *Ah olim haec fueram: sed nunc alia sum.*
Nunt. *Nempe tu es virgo illa, quae cum Comite Sarracenicis*
Venit e terris? Sult. *Sic memini factum nec negare queo.*
Nunt. *Nimirum tibi promisit matrimonialem fidem?*
Sult. *Equidem: at ô utinam eius esse nunc ancilla possiem!*
Com. *Imo ego iam toties tibi dixi, ut sis Comitissa: ego serva ero.*
Nunt. *Quid, si faciam, ut ambae sitis Comitis unâ coniuges?*
Com. *Noli, mi vir, ludere egenas nos miserasque foeminas!*
Nunt. *Ita me Deus amet: non ludo, sed, quod est verissimum,*
Id vobis nunc nuntiabo: quin ambae eritis coniuges
Ludovici Comitis Gleichensis! Com. *Amabo, num non gaudio*
Nos falso oblectas? quî fieri possit, ut unus vir duas

Uxores habeat? Nunt. *Facillime. Et iam id vobis eloquar,*
Sin ipsus Ludovicus vester Dominus praesens adsiet.
Lud. f. *Quin ego Dominum parentem hûc evoco.* Nunt. *Dic me nuntium*
A Supremo Pontifice apportare, cuius maxime fieri
Se volet participem. Lud. f. *Hoc ago, mi vir: mox adero.* Com. *O summe Deus,*
Obsecro me serva! tune missus es a Pontifice in hanc
Terram? Nunt. *Ita aio.* Com. *Ad Comitem?* Nunt. *Ad ipsum. Sed Comes ipsus hûc venit.*

ACTUS QUINTI

SCENA NONA.

Trochaici Septenarii et Jambici Senarii.

LUDOVICUS FILIUS. LUDOVICUS. RELIQUI.

LUD. f. *Isthic est, viden'?* Lud. C. *Video, mi fili dilectissime.*
Nunt. *Salve, mi Comes Ludovice!* Lud. C. *Cum salutem, mi Domine,*
Mihi dicis, tibi vicissim magnas habeo gratias.
Sed mihi, sin lubet, dic, quid velis me. Nunt. *Dicam; at ego prius*
Scire volo, num sis Ludovicus Gleichius, qui, non diu est,
Cum Romae apud Pontificem Sarracenicâ cum virgine
Fueras? Lud. *Ego sum ipsus et ea ipsa est, quam stare hîc ad nos vides.*
Nunt. *Sic equidem arbitror, Ludovice. Nunc tibi laetum nuntium*
Apporto hîc, quod me tibi ferre Papae iussit Sanctitas.
Lud. *Ah quid est? ne diu teneas me!* Nunt. *Nempe hanc indulgentiam*
Hac papyro consignatam perlege vel tibi ipse ego
Perlegam. Lud. *Lege ipsus hasce, mi vir, potius literas*
Tam manu exaratas sanctâ. Nunt. *Sic faciam: ausculta!* Lud. *Hoc ago.*

Nunt. *'Gregorius Nonus Papa huius nominis,*
Episcopus atque servus omnium Dei
Christi servorum, Romanorum Pontifex
Salutem et Benedictionem Apostolicam vovet
Animitus Ludovico Comiti Gleichensium.
Postquam percepimus te ante quatuordecim
Circiter annos in Palaestinam cum Caesare
Friderico Secundo profectum Hierosolymis
Ad recuperandum Salvatoris unici
Sepulcrum, aberrantem e castris forte Caesaris
Captum atque in servitute crudelissimâ
Detentum apud Sarracenos nec amplius
Ullo modo aut ullâ re potuisse e vinculis
Durissimis custodiâque liberum
Fieri nisi per quandam, Sultanam nomine,
Puellam Sarracenicam: quam nescius
Priorem uxorem vivere in Thuringiâ
Et ipsam uxorem ducere coactus fueris,
Et cum nunc legitimam priorem coniugem
In patriâ sine dubio adhuc vivam offenderis:
Quapropter tibi nunc Pontifex sanctissimus
Potestate plenissimâ ab ipso maximo
Christo, cuius vicarius est, sibi traditâ
Concedit, indulget veniamque dat: ut duas
Simul uxores, nempe alteram, quam in patriâ
Habuisti, et alteram, Sultanam, cuius ope
Te liberatum esse affirmas, imposterum
In unis aedibus, in uno lecto et simul
Amore uno pro lubitu amplecteris. Datum
Romae anno Christi Mariâ de virgine editi
Millesimo ducentesimo quadragesimo.
Sub proprio Romani sigillo Pontificis'. —
Quid tibi visum est hoc scripti? Lud. *Totus, mi vir, gaudeo.*
Com. *O mea virgo: quid hîc audimus!* Nunt. *Litterae hae ecquid placent?*
Lud. *Ecquid placeant, me rogas? quin imo vero perplacent.*
Nunt. *Nempe utrasque vis uxores denuo tibi iungier?*

Lud. *Utique! et hic Capellanus meus astat commodissime:*
Tu nos despondebis omnes. Cap. *Id faciam, Comes optime.*
Nam quid Sanctitas supremi Pontificis decreverit,
Omne id ordine hîc audivi. Nunt. *Quin tua iam Reverentia*
Copulet hunc Comitem cum ambabus, quae stant hîc, uxoribus?
Cap. *Hoc ago. Quod felix et faustum fortunatumque accidat!*
Mi Domine Comes, sin animus tibi est simul ambas ducere in
Matrimonium: da dextram! Lud. *Maxime: hîc dextram meam habes.*
Cap. *Nunc tu, Domina Comitissa, hunc si pro viro nihilominus*
Vis agnoscere, tuam manum huius manui impone! Com. *Sic volo,*
Sic faciam libenter: siquidem id indulsit sanctissimus
Pontifex pater. Cap. *Optime. At tu nunc, Sultana, porrige*
Huic quoque dexteram, Ludovico si dari nuptum cupis!
Sult. *Equidem cupio fieri nupta libentius quam libentia.*
Cap. *Quapropter vos tres hîc omnes: nempe te Dominum Comitem*
Cum hac et illâ et vos Dominas Comitissas ambas cum hoc simul
Coniungo et connecto vinclo plane indissolubili.
Vestrum coniugium Deus immortalis tam bene prosperet,
Ut et haec et illa singulis annis novâ prole Comitem
Parentem faciat. Fiat: Amen! Nunt. *Amen.* Sig. *Amen.* Lud. f.
Amen. Herm. *Amen.*
Lud. *O diem pulcrum et celebrem et venustatis adeo undique*
Plenum! ô quantas Sanctitati Pontificis ego maximas
Gratias agam? prae gaudio, ita Deus optimus me amet,
Ubi sim, nescio. Namque utraeque nunc estis mihi coniuges!
Anne adhuc certatis inter vosmet ancillae fieri?
Com. *O fortuna, ô fors fortuna: quantis commoditatibus*
Quam subito Domino meo ope nunc vestrâ onerastis hunc diem!
Sult. *Ah mea dulcissima compar, mea multum dilectissima*
Commarita, ô Domina, Comitissa: ut te iamdudum unicam
Oculitus et medullitus amo, ut te amplector! Com. *Pol me haut poenitet*
Scilicet boni dimidium tecum dividere! ô mulier,
Hoc memorabile est: ego tu sum, tu es ego, unae animae sumus:
Unum amicum amamus ambae; mecum ubi est, tecum est tamen,
Tecum autem ubi est, mecum autem ibi est, et neutra alteri invidet.

Sult. *Nunc et vos mei estis filii.* Com. *Et hos ambos donabo tibi.*
Sult. *Hos non secus amabo utrosque, quam si ex me nati sient.*
Sig. *Me in tuas manûs committo nunc, mater dulcissima.*
Lud. f. *Et me velut ante tibi totum nunc trado e manu in manum.*
Sult. *Sinite me amplecti vos ambos, ô filii charissimi.*
Lud. *O populares, quis me vivit hodie fortunatior?*
Nemo quisquam: nam in me plane Deus potestatem suam
Omnem ostendit, cui tam subito tot congruerint commoda.
O Sultana, quid commemorem primum aut laudem maxime?
Tenam, quae mihi dabas consilium, ut facerem? an me, qui id ausus sim
Incipere? an fortunam conlaudem, quae gubernatrix fuit?
Quae tot res, tantas tam opportune in unum conclusit diem!
An Papae magis Indulgentiam et Sanctitatem? ô summe Deus,
Serva haec nobis bona! ô Sultana, mearum voluptatum omnium
Inventrix, inceptrix, perfectrix: scin' me, in quibus hodie
Sim gaudiis? Herm. *O faustum et omnium felicissimum hunc diem!*
Ros. *Ah quam hodie lepide hoc succedit sub manûs negotium!*
Nulli mortali scio obtigisse hoc nisi meo Comiti.
Sult. *Quicquid incerti mihi in animo prius aut ambigium fuit,*
Nunc liquet, nunc defecatum est, cor mihi nunc pervium est.
Cap. *Deum immortalem! auricalco contra non carum fuit*
Hoc epistolium, quod missum est a Romano Pontifice.
Herm. *At Capellane, modo dixti nunquam unum virum duas*
Uxores duxisse: quid nunc tibi videtur denique?
Cap. *Id quod Pontificis suprema rite indulsit Sanctitas,*
Illud, Hermanne, est probandum et pernegandum nemini.
Nunquam ita quisquam bene subductâ ratione ad vitam fuit;
Quin res, aetas, usus semper aliquid apportent novi,
Aliquid moneant, ut illa, quae te scire credas, nescias:
Et quae tibi putaris prima, in experiendo repudies.
Quod mihi nunc evenit, dum bigamiae contradixeram.
Lud. *Nunc, mea uxor, heus!* Utraeque ux. *Quid est?* Lud. *Bene vos ambae respondetis!*
Namque ambas volui alloqui. Utraeque ux. *Quid vis, here? eloquere.*
Lud. *Quid cessas Falernam nostro huic Hermanno uxorem dare?*

Com. *Si haec vult.* Fal. *Mi Comes, cupio.* Lud. *Ergo fiat!* Com. *Optime facis.*
Herm. *Spondesne ergo mihi hanc uxorem, ô optime Domine?* Lud. *Spondeo.*
Sult. *Lepide facis.* Herm. *At facile isthuc quidem est, si et illa vult et ego*
Autem cupio. Com. *At est Sultanae servus hic.* Sult. *Quid postea?*
Com. *Probus et modestus.* Lud. *Ita aiunt.* Com. *Nec, qui eum respiciat, forsitan*
Quisquam est: solus est. Carl. *Quam haec rem agit?* Com. *Hanc te Rosinam ducere*
Aequum est et te operam, ut fiat, dare. Carl. *Me ducere autem, ô Domina?* Com. *Te.*
Carl. *Me?* Com. *Te, inquam.* Sult. *Hem Rosina!* Ros. *Domina, quid vis?* Sult. *Bono animo es! hodie*
Huic viro nubes. Ros. *Hem.* Sult. *Bono animo es, inquam.* Ros. *Quid? iamne viro?*
Sult. *Jam.* Ros. *Jam?* Sult. *Jam, quantum potes.* Ros. *Deus me, ô Domina, ipsemet oderit,*
Ni magis te quam oculos nunc ego amo meos. Sult. *Quid? quam illum?* Ros. *Aeque, hera.*
Lud. *Sed quid hîc diu cunctamur? quid cessamus, ô mea*
Coniuges dulcissimae? quin potius iam intus nuptias
Et nostras et illas concelebramus! Utraeque ux. *Ut lubet.*
Lud. *Tum novum hospitem hunc Legatum Pontificis ter Optimi*
Accipimus mensâ regali? Utraeque ux. *Sic agendum censeo.*
Lud. *Tu, Capellane, istum tecum hûc Pontificis duc nuntium!*
Cap. *Hoc agam perquam lubenter, imo quicquid iusseris.*

* *

*

CATERVA.

NE expectetis, Spectatores, dum illi ad vos hûc exeant!
Nemo exibit: omnes intus conficient iam nuptias.
Ubi id erit factum, ornamenta ponent atque ex hoc loco
Unusquisque se iterum ad sueta studia rite conferet.
Nunc quod ad vos, Spectatores, relliquum relinquitur,
Et vos vestras nunc personas in vitae hac Comoedia
Ut composite et recte agatis, procurate sedulo:
Ut bene stetis neve in actu corruatis ultimo:
Siquidem agit passim universus orbis histrioniam.
Drama hoc actum est: bene valete, plaudite atque exsurgite.

FINIS COMOEDIAE.

145

FRIDERICI HERMANNI FLAYDERI

EPIGRAMMATA SELECTA.

IN POETAM MULTA SCRIBENTEM:

Esse putas doctum, cum scribat multa, Poëtam?
Multum, non vatem scribere multa decet!

TUBINGAE

ANNO MDCXXVII—XXIX

1.

In imaginem Ioan. Keppleri, Caesaris Mathematici.

Keppleri quae nomen habet: cur peccat imago?
Quae tanto errori causa subesse potest?
Scilicet est TERRAE, Keppleri regula, CURSUS:
Per vim hic sculptoris traxerat erro manum.
Terra utinam currat nunquam semperque quiescat!
Quô sic Keppleri peccet imago minus.

2.

In obitum Nicolai Oxenbachii, Capitanei Tubingensis, sui avunculi.

Quali animo armatos vis Oxenbachia muros
Rupit ferratos ausa secare globos:
Seu quando Ungarico pulsavit ab aggere Turcos
Seu vexilliferam Gallia quando manum
Eius mirata est, cum vasta Lutetia torvo
Ariete quassa famis quassaque Martis erat:
Tali animo talique secans media agmina Mortis
Pectore castellum rupit, Olympe, tuum
Castellum non tormentis muralibus ullis
Fractum: non gladio, sed superante FIDE.

3.

Epigramma venatorium.

Nuper ut a gnavis sus venatoribus actus
Nunc hos nunc illos spargeret ore canes
Et Tua dextra gravem, Friderice, volaret ad ictum:
Ecce repente Tuae coniugis ora videt —
Obstupuit: Sophiamque Deam putat esse Dianam
Et tales humili murmurat ore preces:
'O Dea, me tanto defende a Principis ictu!'
Illa sed: 'insulsam me prece poscis opem:

Et Dux ille meum cor vulnerat omnibus horis,
Et tamen aequanimâ vulnera mente fero'.
Sic tamen ad mites ibat Dea Principis aures,
Sponte suâ cum sus induit arma Ducis.
Vah! quid ab hoste suo sibi non promiserit, ultro
Cuius ad ipsa truces tela feruntur apri!

4.

In pusionem barbatulum gladio accinctum.

Ille pusillus homo, qui tantum bajulat ensem,
Cum quo per cunctas itque reditque vias:
Dic mihi, num ferat ensem an ab ense feratur et ensem
Quando herus ipse ferat vel ferat ensis herum?

5.

Ad Johan. Georgium Besoldum compatrem: cum mihi filius Georg. Fridericus anno 1621: 13. nov. esset natus.

Annus abît, postquam mihi conciliante Besoldi
Alloquio mea lux nupta Jacoba fuit:
Illa comes nostrae multum dulcissima vitae,
Illa nimis parvi sedula Martha laris.
Nunc mihi filiolus vix lapso nascitur anno,
Qui patris ingenium, matris et ora gerit.
Hunc puerum totum tibi dedico, magne Besolde,
Hunc cras e sacrâ rite levabis aquâ:
Sic, qui primus eras mihi conciliator Amoris,
Primitias etiam primus Amoris habes.

6.

Ad Thomam Lansium: cum mihi Agnes Maria anno 1622: 8. nov. nata esset.

Annuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo filiolum lux mea nixa fuit:

Undique qui levium puer agmine cinctus Amorum
Mille parit matri gaudia, mille patri.
Qui modo ridentes vocat ad cunabula Musas
Sparsuras cultis lilia juncta rosis.
Garrulus et teneris modo blaesula verba labellis
Incipit et chari carmina blanda patris.
Nunc iterum parvis vagitibus ivit ad auras
Mustula purpureis nata puella genis:
Quae dilecta suae lactentis ad ubera matris
Turgidulis parvi rictibus oris hiat.
Haec cras in sacris Baptismatis omnia limfis
Crimina labis erit depositura suae.
Huic tu solennem veluti pater alter ad aram,
Oro, salutiferam compatris affer opem.
Sic tibi mille sacro referat Deus omine grates,
Sic velit ille tuam vivificare domum.

7.

Tria.

Dic tria, quae nullo possunt velamine condi.
Nempe tribus dicam: tussis, amor, scabies.
Dic mihi tres summas, quibus insunt omnia, Divas.
Nempe tribus dicam: Juno, Minerva, Venus.
Dic tria, quae totum mala sunt diffusa per orbem.
Nempe tribus dicam: foemina, flamma, fretum.
Dic tria, quae tristi corrumpunt corpora morbo.
Nempe tribus dicam: balnea, vina, venus.

8.

In dissimiles coniuges.

Cum tu sis toto mulier nitidissima vultu:
Vir tuus at contra Cingarus esse queat.
Cum sis et sermone decens et mente polita:
Cum sit at ille tuus nil nisi rusticitas.

Cum sis tota Venus, sis Gratia tota: sed ille
Vulcanum prae se totus ubique ferat.
Cum tu sis placidâ quavis tranquillior agnâ:
Ille sit at rapido durior usque lupo.
Cum tu festivis sis inculpata capillis:
Ille sed et contra cornua mille ferat.
Omnibus at cum sis tu festivissima membris:
Ille sit at totus ceu lutulentus aper.
Cum possis dulci Sirenas vincere cantu:
Possit et hic asinos vincere voce rudes.
Denique dissimiles cum sitis in omnibus, unum
Dicite, quis similes vos sociarit Hymen?

9.

In sceleton Embryonis a Medicis in Bibliothecam positum.

Qui nunquam dulces vidisti luminis auras,
— Sive puer fueris sive puella magis —
Sed prius obscurâ matris tumulatus in alvo:
Ignoras, quantum fiat in orbe mali.
Et nunc in parvâ totus stas osseus arcâ
Omnia pro nervis ossa ligatus acu
Intendisque levem sine fraude Cupidinis arcum
Ceu tenerâ vibres spicula parva manu:
Spicula, quae frustra caecis minitaris in umbris,
Quae nullum virus, vulnera nulla gerunt.
Parve puer, tibi quid voveam, quid comprecer, inter
Mille libros mecum sic quod amicus agis?
Hoc precor, hoc voveo: quô, nunc velut osseus astas
Inter millenos nocte dieque libros,
Tu mox aeternam non osseus incola vitam
Nactus in angelicis stesque canasque choris:
Sic nisi qui noctem nihil hactenus aspexisti,
Aeternam aspicies, sed sine nocte, diem.

10.

In obitum Christophori Pergeri, Studiosi Nobilis, Tubingae de nocte in plateâ trucidati.

Lilia, quae nomen ducunt a vallibus, illa
Lilia, quae Majo crescere mense solent:
Quamprimum blando formosae virginis ungue
Aut pueri tenerâ messa fuêre manu,
Languent paulatimque caput niveumque nitorem
Qanquam in virgineo deposuêre sinu:
Nec tamen illa minus marcore videntur in ipso
Dulce quid e calathis tunc redolere suis.
Flos talis Pergerus erat, qui tempore Maji
Prodiit et Maji tempore messus obît:
Non equidem puerique manu nec virginis ungue
Detonsus, rapido sed miser ense ruit.
Qui jam ferali quamvis tumulatus in arcâ
Marceat et nitidas exuat usque genas,
Attamen ambrosium famae fragrantis odorem
Ex ipsâ ceu flos ejiaculatur humo.
Quisquis es: heu casu fac admonearis ab isto,
Quam levibus causis lilia cuncta cadant!
Et videsis, ipso ne Majo aut virgine blandâ
Saucius aut juvenum messus ab ense ruas!

11.

In doliolum argenteum et inauratum: donatum mihi ab illustri Joh. Joachimo a Grüenthall pro dedicatione Immae Portatricis.

Doliolum, quod stare vides, non condidit illud
E ligno vietor asseribusque mihi,
Sed manus aurifabri pretioso obduxerat auro,
Quod prius argento nobile fecit opus:
Dein mihi pro tenerâ magnus Grüentallius Immâ
Hoc voluit mensam condecorare meam.

Ergo venite, venite, mei, sacra corda, poëtae,
E quorum stolidus pectore fucus abest.
Pocula dum ducent alii, nos aurea contra
Ducemus ritu dolia tota novo

12.

In craterem inauratum: ob meum Ludovicum Bigamum ab Erhardo a Münster mihi oblatum.

Hic scyphus ob Bigamum Ludovicum insignis adivit
Münstero nostri limina dante laris.
Quem manus artificis, quem fulvo splendor ab auro
Pondus et argenti multa valere probant.
Non illum superant veteris crystallina secli
Nec vincunt pretio myrrhina prisca suo,
Clarave quae produnt electri pocula virus
Aut si quid mensam condecorare potest.
Vix tales pateras docto cantare Sabino
Ingentes quondam credo dedisse Duces.
Vix majora reor Taubmanno pocula vati
Olim Castalias dona tulisse Deas.
Imo nec ulla suis Comoedia plausibus olim
Frischlino tantas suppeditavit opes:
Qualis inauratis infra supraque figuris
Nobilis hic nostras stat scyphus ante dapes.
Hinc mihi cum tulerit hoc Comica Pieris aurum,
Hoc quoque Pierides semper amare decet.
Sic mea siquoties intrabit limina vates
(Sed cui candenti mens nive tincta micat
Et qui nec fastum tacitas nec pectore praxes
Concipit et nullas foenore quaerit opes):
Tunc ego craterem generoso infundere Baccho
Protinus ancillam voce jubeo meam
Et statuam ante sacri laetissimus ora poëtae,
Utque bibat multis saepe monebo modis.
Inde propinabo quoties repetamque salutem,

Et toties vates pocula plena bibet
Et mihi respondebit ovans interque bibendum
Effundet pleno carmina mille sinu.
Interea nobis ridentibus, improbe plora
Zoile, fle madidis, Zoile moeste, genis;
Quippe bibes vitro dum mucida vina tibique
Terra rubens crater trullaque fagus erit:
Tunc posthac nostram cingent chrysendeta mensam
Atque auro passim Dramata laeta pluent.

13.

In quendam.

Tu passim versus passimque epigrammata chartis
Illinis ingenio non fabrecata tuo.
Te facit et multâ conjux tua prole parentem,
Quam gratis alii progenuêre patres.
O pulcrum vatem, pulcrum te denique patrem,
Cui calamus toties fert alienus opem!

14.

In ampliter habitantes.

Quid tantum infelix humiles homo despicis aedes
Et contra excelsas vis habitare domos?
Quicquid agas, habitanda tibi domus attamen illa est,
Sustentes naso quâ laqueare tuo.

15.

Virtus nobilitat.

Nobilior non semper erit, qui tempore praestat
Et prior a priscis nomina jactat avis.
Nam tibi si nota est primaeva creatio, nonne
Post asinum et leporem factus Adamus erat?

* * *

Zur Einführung.

Von Friedrich Hermann Flayder wusste man bisher wenig: nur dass er in Tübingen gelebt, gelehrt und gedichtet, war bekannt [1]). Ausser dem Todesjahr 1640 stand kaum ein genaueres Lebensdatum fest. Von der Familie des Dichters fehlte jede Kunde. Einst in seiner engeren Heimat ein viel gefeierter Poet, sank der Stern seines Ruhms in der Notzeit des dreissigjährigen Krieges ebenso schnell, wie er aufgestiegen, in Vergessenheit. Das gesamte handschriftliche Material seiner Werke ging verloren: nur wenige Originaldrucke kamen auf uns.

Flayder selbst berichtet selten von sich. Seine Komödien fallen für biographische Zwecke ganz aus; desgleichen die Reden, die er bei besonderen Gelegenheiten gehalten: in ihnen spricht er nur über andere. Nur die Epigramme, eine auf dem fruchtbaren Boden reicher persönlicher und literarischer Beziehungen gewachsene Gelegenheitsdichtung, verraten uns aus dem Leben und Erleben des Dichters intimere Züge: aber auch diese könnte man zu keinem anschaulichen Gesamtbild vereinigen.

---

1) Vgl. A. Chr. Zeller, Merkwürdigkeiten der Universität und Stadt Tübingen (1743), S. 478, 505. — J. N. Stoll, Sammlung aller Magister-Promotionen zu Tübingen 1477—1755 (1756), S. 35. — A. F. Bök, Geschichte der Universität Tübingen (1774), S. 115 f. — Schwäbisches Magazin (1776), S. 646. — K. Klüpfel und M. Eifert, Geschichte und Beschreibung der Stadt und Universität Tübingen (1849), II 95. — W. Menzel, Deutsche Dichtung (1859), II 293. — W. Heyd, Bibliographie der Württembergischen Geschichte (1896), II 372. — R. Krauss, Schwäbische Literaturgeschichte (1897), I 88. — K. Goedeke, Grundriss II [2] 146, verzeichnet Flayder als letzten der neulateinischen Dramatiker und von seinen Komödien nur die *Argenis*, das schwächste Werk. — Den ersten Versuch einer kritischen Würdigung unternahm W. Scherer in der Allg. deutschen Biographie VII 106 f. (dazu ein Nachtrag von Hartmann, ebenda XV 795). Diese zwar nur magere Charakteristik trifft im wesentlichen das Richtige.

Und was endlich die Darstellungen der Geschichte von Stadt und Universität Tübingen angeht, so versagen sie in diesem Falle auf der ganzen Linie: es wäre an der Zeit, die reichen Schätze des vorhandenen Quellenmaterials zu heben und sie für eine umfassende Bearbeitung fruchtbar zu machen [1]). Was ich darin über Flayders und seiner Familie Herkunft und Schicksal fand, sei hier in Kürze mitgeteilt.

1. Familia et Vita.

Am 14. Juni 1553 wurde in Tübingen der Student der Theologie *Jacob Flayder de Langentzen* [2]) immatrikuliert [3]). Das ist der Grossvater des Dichters. Als Nichtschwabe fand er keine Aufnahme im evangelischen Stift; auch den Magistergrad erwarb er nicht. Nach Abschluss des Studiums kehrt er nicht in seine ansbachische Heimat zurück: er tritt, was damals kurz nach der Reformation öfter vorkam, in den Dienst der württembergischen Landeskirche. Nacheinander ist er in sieben Orten tätig: zuerst bis 1559 als Klosterpräzeptor in Adelberg [4]) (Oberamt Schorndorf), dann 1559—60 als Pfarrer in Münster bei Cannstatt; darauf ist er bis 1567 Stadtpfarrer in Murrhardt, 1567—68 Pfarrer in Sulzbach (Oberamt Weinsberg) und anschliessend bis 1574 in Oberbrüden (Oberamt Backnang). Zuletzt verwaltet er von 1574 bis zu

1) Zur Geschichte des Humanismus in Tübingen werde ich an anderer Stelle einiges beisteuern.

2) = Langenzenn, heute zu Mittelfranken, damals zum Fürstentum Ansbach gehörend. Ob die Familie von dort stammt, war nicht festzustellen. Wie mir Herr Stadtpfarrer Bruglocher in Langenzenn mitteilt, findet sich dort in den seit 1592 laufenden Kirchenbüchern und auch später der Name Flayder nicht mehr. Die Schreibung schwankt in den Urkunden zwischen Flaider, Flaiter, Fleider, Fleiter, Fleter und, wohl in irrtümlicher Anlehnung an den weit verbreiteten schwäbischen Namen Pfleiderer, auch Fladerer, Flederer und Fleterer. Der Dichter selbst und auch sein Vater schreiben sich konsequent Flayder.

3) Laut Matrikel als 36. Student unter dem Rektorat des Jacob Schegk (bei Hermelink, Die Matrikeln der Universität Tübingen, S. 366). Er wird also um 1536 geboren sein.

4) Es waren dort zwei Präzeptorenstellen neu eingerichtet, von denen Flayder die obere, Joh. Herenberger die untere innehatte, der 1559 dann aufrückte. Fl. ist nachweislich der erste evangelische Klosterpräzeptor in Adelberg.

seinem Tode 1591 das Dekanat in Plieningen bei Stuttgart. Mit dem Pfarrhaus in Plieningen war er schon früher durch die engsten Beziehungen verbunden: am 15. August 1569 hatte er Sunamitis [1]) Rösslin, die Tochter des Plieninger Pfarrers, geheiratet.

Dieser Ehe entsprossen fünf Kinder. Als drittes Kind wurde 1575 ein Sohn geboren, der am Himmelfahrtstage (12. Mai) auf den Namen seines Vaters getauft wurde [2]).

Dieser Jacob Flayder ist der Vater des Dichters. Im Alter von siebzehn Jahren bezieht er wie sein inzwischen verstorbener Vater die nahe Universität Tübingen, wo am 23. August 1592 *Jacobus Flayder Plieningensis* immatrikuliert wird [3]). Grossen wissenschaftlichen Ehrgeiz scheint der Plieninger Pfarrersohn nicht gehabt zu haben. Er erwirbt keinen akademischen Grad und führt sein Studium überhaupt nicht zu Ende, sondern bleibt zeitlebens Universitätsverwandter [4]). Nach seinem eigenen Geständnis hat er etwa seit September 1594 gar keine Vorlesungen mehr besucht [5]). Sein Verhalten

1) Der nicht gerade alltägliche Name nach 2. Könige, Kap. 4.

2) Als Paten verzeichnet das Plieninger Taufbuch zwei einheimische Bürger: den Matheus Figel und die Witfrau Agnes Schönhar.

3) Und zwar als 79. Student unter dem Rektorat des Daniel Mögling (bei Hermelink a. a. O. S. 696).

4) So bezeichnet auch das Tübinger Totenbuch ihn noch als Universitätsverwandten. — Die Angehörigen der Universität bildeten zu jener Zeit innerhalb der Stadt eine besondere Gemeinde mit einem eigenen akademischen Bürgerrecht und unterstanden in der Rechtsprechung nur der Universitätsbehörde. Auch sonst besassen sie allerhand Privilegien wie Zoll- und Steuerfreiheit, zudem in Tübingen noch das Recht, Wein zu kaufen und zu verkaufen. Dafür wurden sie aber auch zu Umlagen von der Universität herangezogen. Die Universitätsverwandten waren durchaus keine rein akademische, sondern eine aus den verschiedensten Ständen gemischte Gesellschaft: ausser den Dozenten, Studenten und Beamten gehörten auch ihre Ehefrauen und Kinder, ursprünglich sogar das Hausgesinde, ferner die Buchdrucker, Buchhändler, Buchbinder, Illuminierer (Buchmaler) u. a. zu ihnen. — Vermutlich blieb Flayder als Ortsansässiger dauernd immatrikuliert, um sich dadurch die Vorrechte eines Universitätsverwandten für immer zu sichern.

5) So schreibt er in einem Gnadengesuch an den regierenden Herzog Friedrich am 2. April 1596: gleichwohl immatrikulierter Student, jedoch über die anderthalb Jahr vorher keine Lectiones mehr besucht.

hatte einen triftigen Grund: kaum zwanzig Jahre alt, verlobt er sich am 18. Juli 1595 mit der am 7. Dezember 1569 geborenen Agnes Ochsenbach. Bald darauf, am 9. September, wird Hochzeit gehalten. Durch diese Heirat wird Flayder nicht nur Tübinger Bürger, sondern zugleich ein Glied einer weit über die Mauern ihrer Vaterstadt angesehenen und einflussreichen Familie[1]). Seit zwei Generationen bekleideten die Ochsenbachs das hohe Amt eines Burgvogts und Schlosshauptmanns von Hohentübingen.

Jakob Flayder brauchte nun nicht mehr zu studieren. Vielleicht hat er in der Schlossverwaltung eine ihm besser zusagende Tätigkeit gefunden. Näheres liess sich nicht ermitteln[2]). Wir hören nur noch von einem Streich aus seinem Leben, mit dem er die gute Stadt Tübingen in grosse Aufregung versetzte und den er hart büssen musste[3]). Am

---

1) Ich verdanke diese und andere Nachrichten dem im Original erhaltenen Tagebuch Joh. Herm. Ochsenbachs, Jac. Flayders Schwager. Sein Schwiegervater war der Schlosshauptmann Hans Hermann Ochsenbach († zwischen 1590 und 95; da das Tübinger Totenbuch erst von 1596 an geführt ist, lässt sich ein genaueres Datum nicht feststellen. Seine Frau Margaretha † 30. Sept. 1621). Dieser hinterliess 7 Kinder: Nikolaus, Burghauptmann von Tübingen (1562—1626, vgl. über ihn die Anmerkung zum 2. Epigramm); Friedrich, Verfasser eines Türkenliedes (abgedruckt in den Tübinger Blättern VI [1903] 11 ff.); Joh. Hermann († 27. Nov. 1621, mit einer Schwester des am 5. Mai 1617 verstorbenen Ulrich Besold verheiratet); Agnes, Flayders Frau; Margarete, Heinolds Frau; Barbara, Stockheimers Frau (geb. 6. Jan. 1568, gest. 3. Mai 1599), und eine vierte Schwester, die mit einem Breitenecker verheiratet war.

2) Eine offizielle Beamtenstellung scheint er nicht innegehabt zu haben: im Württ. Dienerbuch von Georgii-Georgenau wird er nicht erwähnt.

3) Über diesen Vorgang orientieren ein umfangreiches Aktenbündel im Staatsarchiv in Stuttgart mit eigenhändigen Briefen Flayders; ferner die Tübinger Senatsakten von Ende Februar bis Ende April 1596 und das schon erwähnte Tagebuch J. H. Ochsenbachs. — In die Beurteilung und Behandlung des Falles scheinen auch Gegensätze persönlicher Art zwischen der Familie Ochsenbach und Senatsmitgliedern hineingespielt zu haben. Sonst wäre die aussergewöhnliche Härte des Vorgehens und Strafmasses kaum verständlich. Nicht nur dass Flayder wie ein Schwerverbrecher nachts von zwanzig Bewaffneten unter Führung des rachsüchtigen Pedells in eine Zelle abgeführt wurde, in der kurz zuvor eine Kindsmörderin gesessen, auch jede Erleichterung der

26. Februar 1596 — einem Donnerstag, der in Tübingen seit alters als *dies academicus* gilt — nahm Flayder an einem Festmahl teil, das alljährlich die Universitätsverwandten, die Stubengesellschaft vom Adel [1]) und die Spitzen der Bürgerschaft unter dem Vorsitz des Rektors im Rathaussaal gemeinsam veranstalteten. Als gegen Schluss der Feier der um den Rektor allzu geschäftige Pedell den nicht mehr ganz nüchternen Flayder und andere irritierte, wirft dieser einen vollen Weinbecher nach dem Störenfried: der Wurf fehlt den Pedell, trifft aber Se. Magnifizenz. Darob ungeheurer Tumult und sofortige Aufhebung der Tafel. Der Missetäter wird, obwohl ihm der Rektor anfänglich verziehen, in der Nacht zum 1. März verhaftet und in Ketten gelegt. In einem strengen Verfahren wird dann Flayder nicht nur relegiert, sondern sogar, um ein Exempel zu statuieren, der Stadt verwiesen. Erst den wiederholten Gnadengesuchen und Fürsprachen Flayders, seiner Frau und der einflussreichen Verwandten und Gönner beim Landesherrn ist es zu danken, dass Herzog Friedrich einschreitet und dem Ausgewiesenen am 6. September die Rückkehr nach Tübingen, zuerst als Pfahl- [2]), dann als Vollbürger gestattet. Zwei Tage darauf trifft der Verbannte wieder bei den Seinen ein.

Haft wurde abgelehnt, sogar dann noch, als Flayder erkrankte. Und als der Herzog bereits Ende April 1596 auf Vorstellung des Tübinger Ober- und Untervogts und des Bürgermeisters zugunsten Flayders einschreiten wollte, wurde auch das hintertrieben. Der Herzog hat später das Verhalten der Universitätsbehörden in scharfer Form gerügt

1) Eine vorwiegend aus adligen Beamten bestehende Vereinigung, die namentlich in den ersten Monaten des Jahres, wenn das Hofgericht in Tübingen tagte, zusammentrat. Der Adel war damals in Tübingen stark vertreten: so wurde z. B. die Zugangstrasse zum Schloss, die heutige Münzgasse, fast ausschliesslich durch adlige Familien bewohnt, deren Wappen z. T. noch heute die Häuser zieren. Der Stubengesellschaft vom Adel konnten jedoch auch Bürgerliche angehören: auch Jak. Flayder war in ihr eingeschriebenes, ordentliches Mitglied.

2) Pfahlbürger = *suburbanus*: ein ausserhalb der Stadtmauern, aber innerhalb der Aussenwerke im Weichbild der Stadt wohnender Bürger, der unter dem Schutz der Stadt stand, wofür er eine besondere Steuer entrichten musste.

Im nächsten Monat schenkt ihm Frau Agnes den ersten Sohn, der am 10. Oktober 1596 auf die Namen Friedrich Hermann getauft wird. Taufpate ist kein geringerer als der regierende Herzog Friedrich selbst, wodurch Jakob Flayders erschütterter Ruf in Tübingen wohl endgültig wiederhergestellt wurde[1]). Dem Erstgebornen folgten noch vier Mädchen[2]). Jakob Flayder, der Vater des Dichters, wurde nur 48 Jahre alt: er starb am 23. Juli 1623; die Mutter, Agnes Flayder, am 22. März 1629 im Alter von 60 Jahren. Jakob Flayder wird in den Gnadengesuchen übereinstimmend als ein ernster, nüchterner Mensch von verträglichem, eingezogenem Wesen geschildert, der den sehnlichen Wunsch habe, sein unterbrochenes Studium fortzusetzen. Und wenn er in einem warmen Dankschreiben an Herzog Friedrich für alle Zukunft bestes Wohlverhalten gelobt, so war dieses Gelöbnis sicher ernst gemeint. Beim Studium scheint er freilich über die guten Vorsätze nicht hinausgekommen zu sein.

Das Nächste, was wir über Friedrich Hermann Flayder erfahren, ist seine unter dem Rektorat des David Magirus am 26. Juni 1611 erfolgte Immatrikulation als *Fridericus Hermannus Fleyder Tubingensis*. Er war also noch keine fünfzehn Jahre alt, als er Student wurde. Das Studium betreibt er ernster als sein Vater: am 16. August 1615 promoviert er unter dem Dekanat des Michael Maestlin zum Magister. Er bleibt, seiner Neigung und Begabung folgend, in der Artistenfakultät und hält in den nächsten Jahren die den Magistern vorgeschriebenen Vorlesungen und Disputationen ab[3]). Seiner Lehr-

1) Ausserdem nennt das Taufbuch noch als Patin eine Frau Rosine Zillertin, geb. von Breusingen.

2) 1. Maria Magdalena, getauft 19. Jan. 1599, früh gestorben; 2. Maria Magdalene, getauft 10. Juli 1603; 3. Euphrosyna, getauft 21. Juli 1606; 4. Agnes, ihr Geburtsjahr ist im Tübinger Taufbuch nicht zu ermitteln, gestorben 18. Dez. 1616, laut Zusatz im Totenbuch: ein frommes und züchtiges Jungfräulein.

3) Alle Scholaren mussten zunächst die Artistenfakultät absolvieren und magistrieren, bevor sie ein Spezialstudium (Theologie, Jura, Medizin) einschlagen konnten. Die grosse Nachfrage nach Lehrkräften in der Artisten-

tätigkeit ist schon nach wenigen Jahren ein Erfolg beschieden: 1620 wird er als hauptamtlicher Professor an das *Collegium illustre*, die berühmte Tübinger Adelsakademie, berufen. Hier lehrt er neun Jahre (von 1620—1628), bis die Anstalt unter der Auswirkung des grossen Krieges ihre Pforten schliessen muss[1]). Dies ist nun die Zeit, wo der Professor zum Dichter wird: in den Jahren von 1625—1629 sind

Epicuria, uxor
Philocrates, filius
Philomathes, filius
Philoponus, servus
Panocnus, servus
Oeconomus, libertus
Daetrus, coquus
Ancillae duae
Nomodidascalus, legatus
Puer legati
Daemones cum duobus amicis
Syngenes cum duobus cognatis
Mors, larva taeterrima
Satan, diabolus
Acolytus, persona muta
Hieronymus, pastor
Virtus, persona feminea
Fides, persona feminea
Plutus latens et loquens ex arca
Chorus ex tribus pueris et tribus puellis familiae Hecasti.

Ad candidum lectorem.

Ne mireris, lector, actorum frequentiam, quod magis auditorum scholae nostrae utilitati quam comico artificio studuimus, ut quod alioqui paucioribus, data opera pluribus conducat.

Argumentum.

Convivium sibi atque amiculis suis
Opiparum Hecastus apparans pleuritide
Percellitur subitoque post gravissima
Scelera citatur ad supremum iudicem.
Cumque anxius neque amiculos neque proximos
Neque liberos fidos sibi comites viae
Offenderet, despondet animum. Ad ultimum
Virtute fultus et Fide post sacrifici

Monita salutis postque paenitentiam
Vitaeque restitutus est et gratiae.
Dein morte sancta spiritali gaudio
Se affecit et suos probosque reddidit.

[A 2 b]

Prologus.

Quotquot theatro nostro adestis, tum viri
Tum feminae, novam sacramque fabulam
Vobis hilariter offero, cui nihil
Inest pudendi sceleris aut lasciviae; at
Quemadmodum Unusquilibet vel Hecastus hic,
Qui candide vobis modo exhibebitur,
Post gloriam, luxum et voluptates suas
Subito subinde ab omnibus desertus ad
Mortem feratur horridam, videbitis.
Videbitis gestus pudicos undique
Actusque graviter exhiberi comicos.
Non hic amator virginum, non leno, non
Scortum impudicum, vel quod offendat pios
Oculos, modo spectator adsit candidus.
State igitur absque turba et absque turbidis
Clamoribus nostrumque Hecastum ab initio ad
Mortem videte progredi, talemque se
Tandem futurum quisque vestrum cogitet!
Valete! Hecastum, cuius hinc libertum agam et
Oeconomon, huc prodire mox videbitis.

[A 3 a]

ACTUS I. SCAENA I.

Hecastus solus. Iambici trimetri.

Nemo omnium mortalium felicior
Me vivit usquam gentium, quod nesciam,
Si quidlibet meam ad beatitudinem
Queat addier. Formosa coniunx, filii
Acres, venustae filiae, ampla familia est.
Varia supellex ornat aedeis splendidas,
Thesaurus auro, argento et electro tumet,
Arcaeque perticaeque veste plurima
Ex purpura vel coccino aut holoserico

Conferta sunt, laeti greges in pascuis
Uberrimis, agri feraces, commodi
Reditus, sed et possessiones plurimae
Et quicquid ad felicitatem conferat,
Iuveni valenti ac sospiti simul affluit.
Age igitur, anima, fruere rebus propriis!
Ede, bibe, epulare cum bonis sodalibus
Et amiculis! Nec terreant te, qui tibi
Diem futuri examinis praenuntiant,
Qui faucibus crepantibus tibi praedicant,
Quod exigenda ratio sit de singulis,
Quae possides vel prodigis, quemadmodum
Expenderis. Nugas agunt, qui haec blattiunt.
Nam quilibet, ut humana ratio iudicat,
Rerum suarum dominus, haud oeconomus est.
Nunc igitur huc mea evocata uxorcula
De vespera cena, deinde vesperi
De crastina volupe apparanda iussero.
[A 3 b] Hinc Daemonem amicum adiero et hunc diem
Iocis, fritillo ac poculis sepeliero.
Prodi, uxor, aedibus, quod aliqua serio,
Priusquam amicum adeam, tibi mandanda sint!

ACTUS I. SCAENA II.

Epicuria Hecastus. Panocnus.
Trimetri ut superiores.

Epicuria.

Mi vir, quid evocas me ad aestum et aëra?
Quin intus ea, quae erant iubenda, dixeras?

Hecastus.

Ut delicata, ut tenera facta es, mea rosa!
Quin palla vel calyptra operuit has genas?

Epicuria.

Etiamne rides?

Hecastus.

Egone?

Epicuria.

Tu nae. Iam iocis
Et ineptiis missis, anime, dic seria!

Hecastus.

Cura apparari vesperum convivium
Et delicatum et splendidum: sint frixa, sint
Elixa, sint assata, sint liquata, sint
Quaecunque sint in copia. Nam vesperi
Nobis viri primarii cum uxoribus
Laetissime excipiendi, honeste ac blanditer
Tractandi erunt.

Epicuria.

Convivium, mi vir, recens?
Convivae, Hecaste, denuo? Calent adhuc
Verua, calent foci calentque chytropodes;
Et denuo, mi Hecaste, convivae et recens
Convivium?

Hecastus.

Si quid calet, iam ferveat.
Parentur omnia denuo.

Epicuria.

Hesterno die
Quae cocta, nondum absumpta sunt. Suffecerint
Quatuor viris totidemque eorum uxoribus,
Ut puto.

Hecastus.

Putas? Abi, coquantur omnia
Recentia.

Epicuria.

Licet. Qui, putas, esuri sunt?

Hecastus.

Cognati, amici, contribules. Ceterum,
[A 4 a] Uxor, tua nil interest praescire, quos
Adduxero. Cura apparentur, quae gulae et
Ventri satisfaciant!

Epicuria.

Licet. Tribusne adhuc
Si coxero, satis arbitraris?

Hecastus.

Ut hoc genus
Muliercularum illiberale est et tenax!
Novem decemve adduxero, ut te Iuppiter,
Mala sciscitatrix, perduat!

Epicuria.

Ne irascere, at
Memineris, ut nobis sacerdotes crebro
In contione publica denunciant,
Quod de omnibusque et singulis, quae prodigi hic
Absumimus, largimur aut expendimus,
Coram supremo iudice in novissimo
Die exigenda est ratio.

Hecastus.

Te iam scilicet
Terret dies novissimus. Quos tu mihi
Narras dies novissimos? Nugantur ii,
Qui isthaec ferunt. Quo ex arculis nostris sibi aes
Emulgeant, hi nos subinde territant.
An non licet mihi meo pro arbitrio,
Quae propria sunt, expendere aut partis frui?
In parricidas, in latrones, in canes
Verpos, in ethnicos et id genus impios
Discussio haec desaeviet. Baptisma nos
Christusque nos servabit, aut si quid sit in
Nobis mali, post lacrimis piabimus.
Neque nos sumus virtutis omnino vacui.
Quod namque abundat, erogamus interim
Pauperibus, orphanis, peregrinis. Sacras
Aedes sacris diebus invisimus, Deo
Precem dominicam fundimus, fidem quoque
Nulla impiorum dogmatων aspergine
Foedam tenemus integram. Vade, stolida,

A 4 b] Et coquito, quae coquenda sunt! Novissimus
Quidem dies nunc longe abest, venturus est
Post multa tandem saecula. Age fruamur his
Praesentibus, dum aetas favet, tempus iuvat
Fataque sinunt. I, mea rosa, isthaec expedi!
Ego Daemonem accedo amicum proximum,
Cum quo iocis, facetiis et lusibus
Tempus teram usque ad vesperam.

Epicuria.

Vade igitur et,
Quia imperare non queo tibi nec volo,
Regredere quaeso tempori!

Hecastus.

Heus!

Epicuria.

Quid nunc?

Hecastus.

Volo,
Si quispiam me quaeritet, ne facile me
Prodatis aut sinatis evocarier,
Quod hunc diem genio dicavi liberum.
Sequere, Panocne!

Panocnus.

Hem.

Hecastus.

Tu familiae praecipe!

Epicuria.

Curabitur. — Vir hic admodum fit prodigus,
Qui ne quidem blandis logis nec asperis
Compescitur. Nisi aliquid ego largissimis
Illius usque impendiis detraxero,
Cito res domestica tota dilabetur. Heus,
Heus, Daetre, ades! Decem viris vel feminis

Coqui volebat; alteram partem cate
His sumptibus detraxero. Foculis novis
Vetera recocta, modo integra, inserenda sunt.
Heus, Daetre!

ACTUS I. SCAENA III.

Daetrus. Epicuria.
Trimetri.

Daetrus.

Daetrus hic. Quid, hera, factum voles?

Epicuria.

Cape sportulam atque hos aureos solidos duos!
Ex omnibus, quae per macellum veneunt,
[A 5 a] Quantum satist' decem viris, eme optima!

Daetrus.

Papae! Decem iam denuo?

Epicuria.

Denuo decem.

Daetrus.

Si addas adhuc solidos duos, vix emero.

Epicuria.

Abi, frutex, non emeris?

Daetrus.

Non emero,
Ut veneunt iam opsonia. At si me audias,
Probe admodum tibi consulam. Quae adhuc super
Sunt reliquiae veteres, novis, ut recaleant,
Interserantur callide. Parcatur huic
Dimidio emendi impendio.

Epicuria.

Recte mones,
Si industrie fieri queat.

Daetrus.

Tam industrie,
Ut et nec ipsa sentias, quae feceris.
Sine me meo periculo hanc cudere fabam!

Epicuria.

Sino. Vide, ne in aliquo honori deroges!
Mercare, quod putas fore necessarium!
Ego interim curabo cum famulitio,
Quod ad voluptatem atque splendorem attinet.

Daetrus.

Vadam. — Tenacitas mehercle mulieri
Sordesque natura insita, haud ullo queunt
Respectu honoris vellier. Satius mihi
Fuit igitur obsequi atque idem suggerere, quod
Certe videbam velle eam sibi suggeri,
Quod hinc mihi concilio pacem et gratiam.
Prospicio Daemonis fores aperirier.
Proripio me, ne forte herus me hic opprimat.

ACTUS I. SCAENA IV.

Hecastus. Daemones. Panocnus.
Tetrametri.

Hecastus.

Hoc est, quod intus dixeram tibi, Daemones. Sistamus hic
Cum poculis fritillum, ut alea et orbibus lusoriis
Moveamus ultro taedia!

Daemones.

Hem, sistamus. At quis legibus
[A 5 b] Certabimus?

Hecastus.

Victo hauriendus cyathus est.

Daemones.

Immo magis
Victo hauriendus cantharus cyathusque victori cadat.

Hecastus.

Adhuc placet, non admodum terret capax me cantharus.
Puer, ades et his infunde vina poculis, dein domum
Te proripe atque satage, ne quid imparatum offendero!
Cave deinde, si petat me quispiam, ne me indices!

Panocnus.

Non indicabo, sed tibi quis usque cyathissabit et
In ceteris minister erit?

Hecastus.

Iners inertis non eget.
Abi, piger, manum laboribus applica! Nos nostra enim
Curabimus nobisque cyathissabimus. Redi!

Panocnus.

Hem?

Hecastus.

Mane!
Primum omnium dic coniugi nos adfuturos vesperi!

Panocnus.

Dicam.

Hecastus.

Philopono dic, paret vino hauriendo dolium
Dulcissimum!

Panocnus.

Licet.

Hecastus.

Inde toti familiae, ut sese excolant,
Chorum instruant laetique nos cum carmine excipiant,
[quod hunc
Diem atque noctem subsequam genio dicare statuimus!

Panocnus.

Facesso. Numquid aliud est, quod exsequendum prae-
[cipis?

Hecastus.

Nihil.

Panoenus.

Valete sospites!

Hecastus.

Iam nostra agamus ludicra.

Daemones.

Agamus. En bis unio.

Hecastus.

Bis senio.

Daemones.

En bis binio.

Hecastus.

Bis quinio.

Daemones.

En bis ternio.

Hecastus.

Bis quaternio.

Daemones.

Bis quaternio.

Victoria haec mihi cesserit.

Hecastus.

Bis ternio.

Daemones.

En bis quinio.

Hecastus.

Bis binio. Descensus usque noster est.

Daemones.

Bis senio.

Ascensus hic spondet mihi victoriam.

Hecastus.

Bis unio.
Profecto prodigiosus hic iactus fuit.

Daemones.

Fuit quidem.
Sed iam vicissitudinem hanc mutavero. Te verbero.
En ternio et quaternio.

Hecastus.

Me verberas, et ventulus
Me verberare visus est sub dextro hoc hypochondrio.

Daemones.

Quid somnias?

Hecastus.

Non somnio, sed intro eamus, obsecro.

Daemones.

Eamus. Ast uterque prius exhauriat sibi poculum.

Hecastus.

Praebibe; sequar.

Daemones.

Bibi. Sequere, nam poculo hoc plagae tuae
[A 6 a] Medebere.

Hecastus.

Id quod faxit Aesculapius!

Daemones.

Faxit! Bibe!

Hecastus.

Bibi, sed haud dum sentio. Cedamus intro, Daemones,
Extraque ventum haec coepta terminemus alacrius.

Daemones.

Placet.
Nam corpori aegro aquilo intulit persaepe multa pericula.

CHORUS.

Iambici dimetri. Ex capite II. Sapientiae Salomonis.

Nihil, sodales, tandem erit
Caro nostra quam exstinctus cinis,
Et mollis instar aëris
Sese resolvet spiritus.

*

Ut nubili vestigium
Haec vita nostra transiet,
Ut nebula dissolvenda, quae
Radiis liquet solaribus.

*

Perinde ut umbrae transitus
Vitae suavis tempus est,
Operisque nostri ac nominis
Cum tempore erit oblivium.

*

Igitur, sodales, commodis
Fruamur his praesentibus,
Veluti iuventa celeriter
Imbuti Iaccho et balsamo!

*

Non temporis flos transeat,
Vernis coronemur caput
Per omne pratum et compitum
Rosis, priusquam marceant!

*

Nullus sit exsors gaudii,
Laetitiae ubique symbola
Linquamus, haec quod una sit
Pars atque sors mortalibus!

[A 6 b]

ACTUS II. SCAENA I.

Oeconomus solus. Trimetri.

Grandi malo servi putant se obnoxios,
Cum imperia sedulo exsequuntur herilia.
Id quod mihi quoque tunc persuaseram fore,

Cum servitutis [illegible]
Verum secus modo [illegible] licet
Operans et obsequens hic iac[illegible] omnium
Liberrimus, curam omne[illegible]mones. [illegible] transferens.
Libertus ubi iam factus su[illegible] undique
Rerum omnium domesticarum m[illegible]ero. [illegible] opprimit.
Si quid vel intus vel foris vernacul[illegible]
Neglexerint, mihi imputatur, quasi ge[illegible]am
Curam universam. Accedit his, quod nec [illegible] mihi
Oboediunt nec gnaviter suis student [illegible]ulus
Negotiis. Nam aut garriunt aut lusitant [illegible]hondr.
Aut in foro omnibus obstrepunt, sua neglegu[illegible]
Videbo, quid Daetrum moretur, quominus
Ferat coquenda coquatque edenda vesperi.
Vos fulcra, mensas, gausape et mantilia,
Orbes, quadras vasaque parate, ut iusseram!
Audistin' haec? Parate cuncta, ut iusseram!
Non audient me, suspicor, sed, ut abiero,
Ad fabulandum aut feriandum confluent.
Recta tamen vadam in macellum, uti videam,
Quid hactenus Daetrum moratum est. Si quidem
Occurrerit, viae laborem ademerit.

[A 7 a]

ACTUS II. SCAENA II.

Panocnus. Philoponus. Oeconomus cum Daetro.
Tetrametri.

Panocnus.

Quantumlibet festinet hera, quantumlibet Apeleutherus,
Res neutiquam processerit, nisi Daetrus adsit, qui coquat,
Quae edenda sunt. Quid discus absque edulio?

Philoponus.

Βοῦς Λοκρικός.

Panocnus.

Tantisper ergo moremur hic, dum redeat is, qui amissus est;
Dumque ille abest, cui labor et omnis opera inutilis est.

Philoponus.

Placet.
Miranda sunt profecto, quae de nostro hero memoras mihi.
Nam quanquam is hactenus fuit rerum omnium profusior
Et ad voluptatem gulae atque Veneris indulgentior,
Nunquam tamen tam futilem festivitatem prodidit.
Timeo hercle, ne res tam insolita siet viro malo omini.

Panocnus.

Merito quidem; nam saepe post Phoebi micantis caumata
Sequi solent tonitrua, extremumque risus luctus est.
Memini, quibus mors imminebat ocius, quod gaudio
Intemperato se nimis resolverent.

Philoponus.

Id ominis
Dii boni avertant! Utut se habebit hoc negotium,
Videbitur. Nos interim curemus ea, quae iusserat
Per singula exacte exsequi, si non velimus ulmei
Rebus quibuslibet imparatis reddier. Mensam ampliter
Primum instruamus, lectulos sternamus atque pocula
Munde eluamus, inde frondibus atrium virentibus,
Herbis quoque redolentibus adornemus atque, ut iusserat,
Chorum ex ephebis et puellis ordinemus consonum,
Ne sit, quod oculos introgressi offendat aut bilem excitet.

Panocnus.

Mones probe. At iam tandem adest Daetrus gravis cupediis,
[A 7 b] Qui utrique nostrum aliam laboris sordidi ansam porriget.
Comitatur Oeconomus, cui cura est rei domesticae. Is
Iurgabitur, scio, et arguet nos otii aut socordiae.

Philoponus.

Syndule, non te pigeat operis aut laboris sordidi.
Nam se omnibus servus fidelis applicat laboribus.
Porro huius ego pro iurgio respondeam.

Oeconomus.

Quid hic foris
Nugamini? Nihil est in aedibus, quod exigatis?

Philoponus.

Est,
Sed hactenus Daetrum morati ipsum sequemur praevium.

Daetrus.

Sequiminor impigri! Est enim, quod utrique committam.

Philoponus.

Licet.
Te sequimur.

Panocnus.

Anne dixeram?

Philoponus.

Praedixeras. Sed obsecro,
Quem principem virum eminus videmus huc gravissimis
Properare gressibus? Moremur; haud enim mediocris est
Vir dignitatis, quisquis est. Id quod suis tum vestibus
Tum gestibus, tum maxime qua praeditust' heroica
Maturitate in moribus plane indicat, prae se ferens
Ingens decus et auctoritatem regiam.

Panocnus.

Videtur hic
Legatus esse Caesaris regisve magni nominis,
Quod haec severitas et haec maturitas nulli siet
Nostratium. Cedamus intro; nam pudet tantum virum
Excipere; nam nos appetit.

Philoponus.

Siste, pudor absit rusticus!
Quid digne hero respondeas, fugisse si resciverit?
Non nos quidem hic momorderit; si quid loquendum,
[ego eloquar.

ACTUS II. SCAENA III.

Nomodidascalus. Philoponus. Panocnus.
Tetrametri.

Nomodidascalus.

Iamdudum in his mundi infimis convallibus praedivitem
Homuncionem habitare multi praedicant, quem rex deûm

Hominumque maximus iubet citarier, quem singuli et
[hunc primulum
Henecastum et Unumquemlibet compellitant.
[A 8 a] Legatione functus opto convenire serio.

Philoponus.

Herum petit.

Panocnus.

Verum.

Nomodidascalus.

Heus, boni iuvenes, mihi aedes divites,
Quas Hisecastus habitat, ultro ostendite!

Philoponus.

His in aedibus
Habet Hisecastus ipse herus noster, domine venerande,
[quem
Omnes Hecastum nuncupant.

Nomodidascalus.

Idem est. Vocetur huc foras!

Philoponus.

Dudum exiit, mi heros, domo necdum reversus est. Heram
Si poscis, ipsa adest.

Nomodidascalus.

Vocetur haec!

Philoponus.

Panocne, heram evoca!

Panocnus.

Vocavero.

Nomodidascalus.

Quo abiit herus?

Philoponus.

Ad amiculum animi gratia,
Ut poculis vel lusibus iocisve tempus exigat.

Nomodidascalus.

Tempus terendum lusibus? Tempus terendum poculis,
Quo nihil habet preciosius, quo nihil habet iucundius,
Quo debuit vitam priorem lacrimis foedissimam
Piare et ad vitae futurae gaudia aspirare, cum
Nil morte sit ei certius, nil mortis hora incertius?
At quid moratur uxor? Aut quin huc vocata proruit?
An despicit summi mandata regis haec, quae perfero?

Philoponus.

Iamdudum in amplos apparatus vesperae cenae, arbitror,
Distracta subito non quit explicare se vel comere.

Nomodidascalus.

O dirae et exsecrandae opes mortalium, ad quid non [solent
Mentes suorum cogere!

Philoponus.

Eccam heram sua cum ancillula.
Heros, vale; nam est, quod agam in aedibus.

Nomodidascalus.

Adolescentule, vale!

ACTUS II. SCAENA IV.

Epicuria. Nomodidascalus. Puella.
Trimetri.

Epicuria.

Papae, quis hic? Salve, vir inclite!

Nomodidascalus.

Salva sis,
Muliercla!

Epicuria.

Mene quaeris an virum meum?

Nomodidascalus.

Primum omnium tuum maritum, deinde te
[A 8 b] Quoque admonendum censui. Sed ille ubi est?

Epicuria.

Ecastor istuc nescio. Solus abiit.

Nomodidascalus.

Videto, quid respondeas! Os namque, quod
Mentitur, occidit animam.

Epicuria.

Egone mentiar?
Ne quaeso suspicetur id dominus meus.

Nomodidascalus.

Videlicet, servi tui novere, quod
Tu nescias? Mitte igitur ocius, qui eum
Adducat! Est enim mihi res seria,
Iussum quoque necessarium regis mei
Ter maximi, quae et indicare me quidem
Quamprimum oportet, ast eum mox exsequi,
Modo rationem suae salutis habuerit.

Epicuria.

Me miseram, ut hoc sermone me quoque territas!

Nomodidascalus.

Hic terror est maioris initium, nisi
Nos audiat. Voca virum!

Epicuria.

Timeo admodum,
Ne non velit vocarier.

Nomodidascalus.

Nolit, velit,
Ducatur huc!

Epicuria.

Puella, vade et evoca
Nostra ex familia quempiam, —

Puella.

Evocavero.

Epicuria.

Quem mittam in aedeis Daemonis, si fors queat
Post pocula inde educier.

Puella.

Vocavero.
Aliudne dici praecipis?

Epicuria.

Nihil aliud.
At cum vocato regredere, ut dicam tibi,
Si forte causa postulet, quî vesperi
Sint ordinanda fercula in convivio!

Puella.

Facesso.

Epicuria.

Abi!

Nomodidascalus.

Quid tanta modo pro vespere
Est cura tibi convivio, cum nescias,
Num habitura sis tuo cum marito vesperem?

Epicuria.

Quid audio? Iuvenes sumus, sani sumus
Lustrumque nondum septimum transegimus;
Quî mors subita nos opprimat? Quaeso, melius
Mihi ominare, ne quibus terroribus
[B1a] A poculis et ferculis nos distrahas!

Nomodidascalus.

Si mihi vacaret his tibi de singulis,
Muliercla, respondere, non quam stulta sis
Modo, sed et quam insanias, attenderes.
Sed nunc adest puer vocatus; praecipe
Ei, marito quod velis referrier!
Tantisper hic manebo, dum peregeris.

ACTUS II. SCAENA V.

Panocnus. Epicuria. Puella.

Tetrametri.

Panocnus.

Prodire me foras iubebas, hera? Quid exigi voles?

Epicuria.

Reverte in aedeis Daemonis quam potueris celerrime
Et revoca herum!

Panocnus.

Non audeam tentare, quod iubes; nam herus
Interminatus est mihi iam serio, ne se hoc die
Aut evocarem aut proderem.

Epicuria.

Novi, sed imminet modo
Necessitas ultima; velit nolit, statim accersendus est.
Dices virum primarium ter maximique Caesaris
Legatum adesse in aedibus, qui iussa perfert seria
Sine remora denuntianda, et inquies, quod mortis et
Salutis ultimae discrimina imminent, si neglegat.

Panocnus.

Legatum adesse dixero, cuius necesse est iussibus
Mox serio respondeat.

Epicuria.

Sic dixeris!

Panocnus.

Sic dixero.

Epicuria.

Alii vide ne dixeris!

Panocnus.

Non dixero.

Epicuria.

Vade interim!
Puella, sterne mensam in edito domus triclinio,
Ut hospitem excipiamus hunc cum honore summo et [gaudio!

Puella.

Operam dabo, quo splendide sint apparata quaelibet.

Epicuria.

Niteant parietes byssinis, hyacinthinis, holosericis
Tapetibus.

Puella.

Faxo libens.

Epicuria.

Fac, mensa et auro splendeat
Radiante gemmatisque poculis!

Puella.

Licet.

Epicuria.

Loca singula
Styrace, ture et galbano suffita sint.

Puella.

Suffita erunt.

[B 1 b] **Epicuria.**

At celeriter.

Puella.

Celerrime.

Epicuria.

Iam comiterque et callide
Mihi loquendum cum viro hoc, donec maritus exeat,
Si forte venari queam, viro meo quid nuntiet.
Ipsusque adit me denuo. —

ACTUS II. SCAENA VI.

Nomodidascalus. Epicuria. Puer.
Tetrametri.

Nomodidascalus.

Mulier, quid est quod inutili
Iubes labore distrahi totam familiam in aedibus,
Ut putridam carnem oppleas enutriasque vermibus?
Si habeas, quibus vitam tuam serves et hoc corpusculum
Moderate operias, aliud his regionibus nil postules.
Nam is, cuius hac legatione fungimur, ditissimus est,
Qui in propria mensa suis paravit immortalia
Sua fercula atque pocula, utpote omnibus sese hac brevi
Vita pie colentibus et amantibus. Quid denique in
His lacrimarum vallibus congeritis aes, vestes, opes,
Captatis ampliter voluptates, honores, commoda,
Cras morte certo certius morituri et omnia haec velut
Nihilum relicturi?

Epicuria.

Id quidem cognoscimus, vir optime.
Sed, obsecro, quid adeo mortem interminaris iuvenibus
Sano atque vegeto corpore? An non plurimis annis adhuc
Vitam poterimus prorogare et ultro caelis perfrui?

Nomodidascalus.

O si scias, quam haec stulta sit praesumptio, modo trepida
Resipisceres, hunc fastum et hunc luxum ut lutum contemneres
Iramque flendo iudicis caelestis antevorteres.

Epicuria.

Quî stulta? Non propitius est Deus optimus, qui et in ultima
Hora diei in vineam properantibus post otium
Magnum dabit parvi laboris praemium?

Nomodidascalus.

Si vera sit,
Nunquam profecto est sera paenitentia. At tu quî scias,

[B 2 a] Homo bulla inanis et levis, quod horam ad undecimam queas
Perducier? Nam qui spopondit paenitenti gratiam,
Is negligenti non spopondit crastinum. Quin etsi ad id
Aetatis ultimae senex perveneris, qui nunc scias,
Quod te in suam paterfamilias vineam missurus est?
Quandoquidem donum Dei perfecta paenitentia, haud
Res propriae virtutis est? Tuque interim spreta Dei
Patientia longa secundum cor tuum non paenitens
Tibi in supremum examen iram congeris.

Epicuria.

Tu territas
Me neutiquam mediocriter dirae necis vocabulo.
Verumtamen difficile mihi persuadeas, haec omnia,
Quae possidemus ampliter, fore deserenda adeo temere
Et stulte et inconsulte, ut illis non fruamur libere,
Qua vel sua clementia Fortuna vel dii boni
Nobis suo favore contulere abundantissime. At
Iam sermo suspendendus est; tandem maritus advenit.

Nomodidascalus.

Ut video, non resipueris, donec tibi Letum sua
Vitam sagitta transigat. Vade igitur et fac, quod tibi
Censueris esse commodum!

Epicuria.

Vadam et videbo, quid mei
Convivio et triclinio apparaverint. Te quoque velim
Marito adesse vesperi.

Nomodidascalus.

Is mihi modo conveniendus est.
Profer, puer, diploma divinaeque legis codices!

Puer.

Hem tibi, domine, diploma divinaeque legis codices.

ACTUS II. SCAENA VII.

Hecastus. Panocnus. Nomodidascalus.
Tetrametri.

Hecastus.

Quem sese homo dicebat esse, qui iubebat me sibi
Assistere?

Panocnus.

Insignem virum magnique regis nuntium.

Hecastus.

Se nobilem, se divitem, se purpuratum aut splendidum
[B 2 b] Auro exhibebat nuntius?

Panocnus.

Non admodum. Verumtamen
Ea est viro in sermone, vultu moribusque auctoritas,
Maturitas probitasque, ut (absit verbulo indignatio)
Te rusticum, te barbarum censerem et hominem sordidum.

Hecastus.

Nugare. Si pannosus est, si pauper et ignobilis,
Non regius legatus est neque huc bonis avibus venit.
Ubi reliquisti virum?

Panocnus.

Cum uxore nostris pro aedibus.
En tibi hominem! Vide et experire, ipsus quis est vel
[quantus est!

Hecastus.

Pol tam gravem non credidi. Relucet ex facie viri
Reverenda morum dignitas et honore digna sanctitas.

Panocnus.

Haec dixeris, cum hominem loquentem audiveris.

Hecastus.

Salus tibi
Sit, quisquis es, venerande vir! Men' quaeritas?

Nomodidascalus.

Tibi quoque salus
Vitaque functo mors bona et vitae futurae gloria!
Tun' ipsus es, qui vulgo Hecastus diceris?

Hecastus.

Hecastus sum ego.

Nomodidascalus.

Rex regum et imperator omnium per orbem maximus
Me misit ad te nuntium iussitque te absque mora suis
Assistere tribunalibus deque omnibus, quibus usus es
Vel abusus, et quae sub polo per fas nefasque possides,
Sibi rationem reddere. Et ne existimes rem frigidam
Et hanc meam legationem subdolam aut minus ratam,
En litteras chirographumque, quo suam ad praesentiam
Te tanta maiestas citat.

Hocastus.

Quid Caesari mecum fuit
Commune, ut accepti datique subito iustum calculum
Suum ad tribunal exigat? Quid? Num imperator me sibi
Servum, colonum, debitorem aut oeconomon existimat,
Ut referam ei omnem calculum de singulis? An non licet
Mihi de meis et quod volo et quantum volo, quando
[volo et
Quibus volo et quemadmodum volo, meo pro arbitrio
Impendere?

Nomodidascalus.

Has lege litteras primum omnium atque intellege!
Si postea quid haesitas, tibi clarius praecepero.

[B 3 a]

Hecastus.

Pro Iuppiter, cuiusmodi haec scriptura et haec elementa
[sunt?
Nostrae profecto non habent formam stilumve curiae.
Quasi hi characteres Dei digito exarati sint, ita
Grandem mihi timoris horrorem ingerunt.

Nomodidascalus.

Quid mussitas?
Cito perlege citiusque responde, ut sciam, quid sit mihi
Renuntiandum iudici!

Hecastus.

Tuam fidem! Est in litteris
Reverenda quaedam antiquitas punctis figurisque haud
[parum a
Nostra litura discrepans, ut neque legere verbum queam
Miser nec intellegere, quae exarata sunt. At sunt mihi
Duo filii, quorum alter humanis diu versatus est
In litteris. Morare, dum sensum mihi horum versuum
Is explicet!

Nomodidascalus.

Vocetur.

Hecastus.

Heus vocato Philomathen meum
Gnatum, ut statim compareat! Post alterum curabis, ut
Legatus hic dignissime excipiatur hospitesque ceteri.

Panocnus.

Et filium tuum, here, vocabo et alterum curabitur.
Numquid aliud me vis?

Hecastus.

Nihil nisi ut ipsus actutum advolet.
Dicesque quamprimum illius me opera indigere.

Panocnus.

Dixero.

Hecastus.

Me et cura et anxietas et horror artuum simul obruunt.
Dolet latus, cor palpitat, quasi febribus concussa sint,
Carnes et ossa contremunt. Super omnia haec legatus hic
Me et iussa regis maximi torquent pavore maximo;
Et ad ipsa quid respondeam, ignoro omnium miserrimus.
Heu me, vicissitudo quanta subito rerum est omnium!

Sed ecce Philomathes adest gnatus meus iuvenior; hic
Mihi, spero post has litteras lectas feret solacium.

ACTUS II. SCAENA VIII.

Philomathes. Hecastus.
Trimetri.

Philomathes.

Subito legentem Hippocraten puer meus
Me devocat. Quis hic? Pater quid tristis est? —
[B 3 b] Salve, pater! Quid tristis es? Quid et manum
Lateri apprimis?

Hecastus.

Me subitus invasit dolor
Sub dextro hoc hypochondrio.

Philomathes.

Linguam exsere!

Hecastus.

Hem.

Philomathes.

Cedo manum!

Hecastus.

Hem manum.

Philomathes.

Pleuritis est.
Morbus profecto neglegendus nemini,
Nisi forte cui vitae salus invisa sit.
Is namque praecipiti gradu adducit neci,
Nisi eam reppulerit initio medicans manus.
Fidito, pater! Lecto Galeno facile te
Servavero. Sola hacne causa subito me
Modo devocari iusseras?

Hecastus.

Non hac quidem,
Fili, sed alia, quae premit pectus meum
Multo magis. Vidistin' hunc virum gravem?

Philomathes.

Quin viderim?

Hecastus.

Magni imperatoris, ut ait
Et ut indicat maturitas, legatus est,
Qui me suis verbis gravibus et litteris
Eius tribunali ocius sisti iubet
Et omnium, quae nostra sunt, rationem ibi,
Ut nacta sunt vel distributa, reddere.

Philomathes.

Ne cesseris! In ius vocandus est pater,
An imperator omnibus nostris bonis
Praescribet ultro calculum?

Hecastus.

Audi cetera!
Venerandae adhuc antiquitatis obtulit
Diplomata, brevibus quidem illita versibus,
Sed litteris tam insignibus, uti non manu
Mortalis hominis, at Dei scripta putes.
Tantum ingerunt horroris intuentibus.
Quas dum neque intellegere queo neque legere,
Te devocavi ex edito museolo,
Ut, verba, sensum et ordinem cum expresseris,
Sciam, quid alto principi respondeam.

[B 4 a] **Philomathes.**

Diplomata sua mihi vir ipsus displicet
Videatque nostro in orbe doctos et sophos.

Hecastus.

O utinam in hac re, gnate, patri commodes
Pro maximis tibi traditis impendiis!

Philomathes.

Et quicquid ad philosophiae artes attinet
Omnesque leges tum profanas tum sacras
Omnemque linguam haud barbaram novi probe.

Quid proposuerit, quod facile non solvero?
Sed in viro est, dum attentius considero,
Non saecularis dignitas, ut credidi,
Fastusve regius, sed horror ac stupor
Cultus Dei et caelestis amplitudinis.

Hecastus.

Hoc dixeris, cum ipsum loquentem audiveris.

ACTUS II. SCAENA IX.

Nomodidascalus. Hecastus. Philomathes. Puer.
Trimetri.

Nomodidascalus.

Hic est, Hecaste, qui tibi regis mei
Mandata legat et explicet?

Hecastus.

Is est.

Nomodidascalus.

Cape, lege!
Plus aequo in hoc loco moratus sum; expedi!

Hecastus.

Quid stipes hic elinguis es? Quî non legis?

Philomathes.

Horror, pater, me invadit, anxietas quoque
Non mediocris. Nam elementa quanquam barbara
Miram Dei potentiam prae se ferunt.
Humaniores litteras scio, barbaras
Neque legere neque intellegere, pater, queo.

Hecastus.

Egone miser, qui post tot auri impendia
Nil eruditionis in te nactus sim?
An non in hoc te litteris mandaveram,
Ut, sicubi res postularet, tu meas
Causas viris coram probis defenderes?
[B 4 b] Et ecce nunc in hoc meo discrimine

Stas mutus absque mente, voce et sensibus.
Lege vel abi in malam crucem, ignavissime!

Nomodidascalus.

Ne caede gnatum innoxium! Nam tu magis
Taxandus es, qui tantum eidem litteras
Tradi volebas, quae aut forent rebus tuis
Perutiles aut ampliter gnati tui
Tum gloriae tum dignitati consulant,
Dei optimi et propriae salutis neglegens.
Porro ex Deo omne pendet hoc negotium
Totumque divinum est, quod hic tractabitur.

Hecastus.

Quid audio? Non dixeras exordio
Summi imperatoris te adesse nuntium?

Nomodidascalus.

Et esse dixi et sum quidem παντοκράτορος
Et imperatoris minister maximi.
An non Deus rex regum et omnium ubilibet
Dominantium? Hic suo tribunali iubet
Te assistere, ut simul exigaris omnium,
Quae gesseris, rationem et artum calculum.
De idololatria, infidelitate deque falso
Iureiurando, dolo, periurio,
Fastu, gula, luxu, libidine, acedia,
Furto, philargyria, rapina, caedibus,
Livore, bile et id genus facinoribus,
Quibus Deum patrem optimum et ter maximum
Negare minime veritus es, sed omnibus
Tum animi tui tum corporis pulcherrimis
His dotibus cum argento et auro plurimo
Abusus es. Quorum omnium te, homo, Deus
Non principem aut dominum, sed oeconomum sibi
Constituerat, quo ea non tuae libidini
[B 5 a] Sed commodis et gloriae domini tui
Expenderes, nunc petitur aequus calculus.

Hecastus.

Tot atque tantis me procellis obruis,
Ut mente desperationi proximus
Deficere me putem. Sed ista, qua mihi
Minaris, actuum omnium discussio
Post longa creditur futura tempora.
Quis interim interdixerit fruisci iis,
Quae vel labore parta sunt vel annuens
Mihi vel patri Fortuna large tradidit?

Nomodidascalus.

Homo bulla inanis, exigis, quis vetuerit?
'Divina virtus celeriter te eliserit,
Te extruserit,. te eraserit, te exstinxerit.
Divina enim animadversio, et si pluribus
Sit differenda serius, tibi imminet
Et occupabit neglegentem ocissime.
Quapropter expende ocius, quid his super
Respondeas!

Hecastus.

Vehementer urges, nec tamen
Tempus locumve examinis certo ordinas.

Nomodidascalus.

Nunc imminere diximus tempus locum-
Que diximus dudum, atque adhuc recalcitras.

Hecastus.

At qua via gradiendum erit?

Nomodidascalus.

Te rapuerint
Hinc ultro, qui accusaverint, Dei angeli,
Tum daemones, tum propria conscientia.
Et ipse te tunc, ut modo, accusavero.

Hecastus.

Cui iudici?

Nomodidascalus.

Inflexibili et horribili Deo,
Cuius tremunt vultum inferi, superi quoque.

Hecastus.

Non advocato causa et epitropis potest
Committier?

Nomodidascalus.

Coram ipse oportet adsies.

Hecastus.

Nullaene igitur indutiae?

Nomodidascalus.

Nullae.

Hecastus.

Hei mihi!
Prosintne opes?

Nomodidascalus.

Minime.

Hecastus.

Precesve?

Nomodidascalus.

Neutiquam.

[B 5 b] **Hecastus.**

Heu heu miser, quid natus sum! Quot undique
Me subito circumdant mala!

Nomodidascalus.

Haec ante omnia et
Te praevidere et te cavere, cum diem
Tibi otio terere liberet, oportuit.
Nunc ergo dic, quid iudici renunties!
Neque enim licet posthac morari quidpiam.

Hecastus.

Angustiae graves mihi sunt undique.
Ignoro, quidnam fecero, quandoquidem

Durum aggredi et periculosum renuere.
Cum nullus igitur sit, legere qui possiet,
Hoc ipse lege diploma, quo certo sciam,
Quid me citanti iudici respondeam!

Nomodidascalus.

Onus hoc subire tuo haud gravabor nomine.
מְנֵא תְקֵל פַּרְסִין id est: Numeravit hos
Vitae tuae dies Deus verissimus
Et ponderavit minus habentes maximus,
Divisit itaque te e solo iustissimus.
En prior. Et altera haec, quam clarius
Intellegas, sententia est: צַו לְבֵיתֶךָ
כִּי מֵת אַתָּה וְלֹא תִחְיֶה quod est: Homo,
Domui tuae dispone, quia morieris et
Non vixeris! Hic est tonantis nuntius.

Hecastus.

Ergone moriar?

Nomodidascalus.

Certius quidem nihil.

Hecastus.

Quî moriar annum vix agens tricesimum?

Nomodidascalus.

Moriere nec posthac habebis crastinum.

Hecastus.

Egone moriar, opibus qui abundo plurimis.
Cui sunt amici, proximi, uxor, liberi?

Nomodidascalus.

Vide, quid hi te iuverint! Moriendum erit.
Quid nunc remandas iudici? Dic sine mora!

[B 6 a]

Hecastus.

Heu me! Velim nolim, omnium miserrimus
Petam supremum iudicem.

Nomodidascalus.

Sequere ilico
Tu quoque, puer, cape sarcinam! Migremus!

Puer.

Hem.

ACTUS II. SCAENA X.

Hecastus solus. Trimetri.

O Mors, quam amara est mentio tui viro
Sano, cui tranquilla rerum est omnium
Possessio libetque adhuc capere cibum.
O anima mea, solis relicto lumine,
Uxore blanda, liberis caris, bonis
Amplis, amicis integris et hoc
Tuo suavi corpore rapiere nunc
Per atram et ignotam viam necis horridae ad
Summi tribunal iudicis, cui ne quidem
Unum ad decem milia referre potueris;
Ubi nec opibus, quia dives est, nec gratia,
Quia iustus est, sed nec dolo, quia sapiens,
Nec pragmatis, iudex quod ipse et testis est,
Agendum erit. Quid obsecro tandem spei
Nobis duobus unicis, nisi quod salus
Speranda nulla est perditis? O si modo
Ex omnibus vel unum amicum offenderem,
Qui se meis comitem exhiberet passibus,
Qui usque ad tribunal indicis causam meam
Pro viribus defenderet, vir is quidem
Non mediocre afferret mihi solacium.
Talis mihi intus aut foris prensandus est.

[B 6 b]

CHORUS

Ex Ecclesiastico, Psalmis et Apocalypsi. Dimetri.

O Mors, quam amara est memoria
Tui viro sano, cui
Tranquilla rerum est copia
Libetque adhuc epularier!
O saeva mors, o dira sors

Homini scelesto et impio,
Cui soluto a corpore
Mors imminebit pessima.
Mors quanquam acerba corporis,
Tamen ipsa momentanea est.
At spiritus mors perpes est
Adeoque multo acerbior.
Mors prior amicum separat
Ab amiculis mortalibus,
Secunda mors hominem a Deo
Vivente in aevum disgregat.
Quia quamdiu Deus Deus,
Tam diu erit impius impius;
Tantisper hic in tartaro,
Quantisper ille in gloria.

ACTUS III. SCAENA I.

Hecastus solus. Trimetri.

Quam is est beatus, qui ita probe vitam suam
Instituit, ut morte ingruente neutiquam
Timeat, sed audeat ultro adire iudicem,
[B 7 a] Id ex mea infelicitate maxima heu
Sero nimis considero. Nam cor meum
Tot opprimunt curae, ut, quid expediat mihi
Primum omnium tentare, prorsus nesciam.
Vitam meam dum pristinam considero,
Plus terret orco dira conscientia.
Si in posterum emendationem spondeam,
Morbus premit, mors imminet, Deus quoque
Iratus instat arbiter; cuius quidem
Solus tribunal mox adire exhorreo
Et nescio, si ex omnibus sit quispiam
Amiculis, qui me velit comitarier.
Tentare tamen id est necesse maxime,
Quod solus hunc ausim adire iudicem.
Se primus ingerit cum amicis Daemones,
Is primiter mihi modo conveniendus est.

ACTUS III. SCAENA II.

Daemones cum duobus amicis. Hecastus. Trimetri.

Daemones.

Eamus et videamus, ut Hecastus vetus
Valeat amicus!

Amicus I.

Eamus!

Amicus II.

Eccum is obviust.

Daemones.

Ut est, Hecaste? Non adhuc sapiunt tibi
Vina vetera? Ecquid tristis es? Quî sese habet
Lateris dolor?

Hecastus.

Quid vina, amice Daemones,
Mihi suggeris? Dolor ingravescit plurimum,
Verum aliud est, quod urget hoc vehementius.
In quo tuum atque ceterorum plurium
Consilium et auxilium invoco.

Daemones.

Sis bono animo!
Nihil est enim, quod viribus, quod opibus et
Prudentia tibi non queamus benevoli
[B 7 b] Impendere. Heus propone causam; nostrum erit
Succurrere.

Hecastus.

Imperator et rex maximus
Suo tribunali iubet me assistere
Et de omnibus factis, logis, rebus quoque
Mihi creditis rationem ad unguem reddere.
At solus apparere summo iudici
Quandoquidem non audeam, vos deprecor
Pro nostra amica et vetere consuetudine,
Ut vel simul cuncti vel unusquilibet

Mecum profectus ad tribunal iudicis
Pro me advocatus vel patronus adsiet.

Daemones.

Confide; nam pro viribus te quisque ibi
Iuvabimus. Sed quando proficiscendum erit,
Vel quo modo, vel quo, vel ad quem iudicem?

Hecastus.

Heu me, sine remora vel ante vesperem
Sub horrido vitae et necis discrimine
In regionem tenebricosam et inviam
Migrandum erit, sistendum et alto iudici.

Daemones.

Praegrandis est, Hecaste, res, quam praedicas,
Nostris quoque impar viribus. Si in proximo
Vico vel urbe proxima absque periculo
Coramque noto iudice haec, quam nos rogas,
Res foret agenda, relinquerem te neutiquam;
Sed iam mihi id (quid hi queant, nescio) tibi
Praestare non est integrum.

Amicus I.

Mihi quoque
Non modo vacat, quod et aliis condixerim.

Amicus II.

Nec mihi per occupationes plurimas.

Hecastus.

Haec est amicitiae fides? Haec gratia?
Sic destituitis in miseria, quem quidem
Tantum celebrabatis olim in gloria?

Daemones.

Sic mandat hoc Fortuna nobis tempore.
[B 8 a] Verum probe tibi atque amice consulam:
En Syngenes reliquique sanguine proximi
Ultro tibi sese ingerunt: causam explica!
Nihil est, quod ii tibi negaverint. Vale!

Hecastus.

Ut hoc amici frigidum solacium!

ACTUS III. SCAENA III.

Syngenes cum duobus cognatis. Hecastus. Trimetri.

Syngenes.

Quid turbae in aedibus tuis, Hecaste mi?
Quid uxor atque liberi illacrimant domi?
Quonam repente regio iussu foras
Citatus es?

Hecastus.

Pro pro dolor, cognate mi, ad
Summi tribunal iudicis vocatus et
Parere iussus sum, nec est, qui iudicem
Mecum profectus mitiget, causam meam
Defendat aut mihi consulat, si non modo
Sit quidpiam a vobis mihi solacii.

Syngenes.

Cognate, non te deseremus. Fidito!

Cognatus I.

Non deseram te.

Cognatus II.

Hecaste, non te deseram.
Sed quonam eundum et quando, nobis dicito.

Hecastus.

Statim in horridum mortis ferar periculum et
Sistar severo iudici, cui ne quidem
Unum queam pro mille adortus reddere.

Syngenes.

Vices tuas (ita me iuvent pii Ioves)
Doleo, sed haec mihi causa paret acerbior,
Quam possiet per nos tibi tractarier,
Ut nulla nos mortis pericula terreant.
Quapropter oro, aequanimiter nos audias,

Tuae saluti consulere quia cupimus.
Tibi sunt opes amplissimae, tibi famuli
[B 8b] Fidissimi, tibi liberique acerrimi.
Auri tui argentique vim cape maximam
Assumptisque famulis atque liberis tuis
Securus aggredere severum iudicem;
Si quid tui nati haud queant defendere,
Tua, cui omnia oboediunt, pecunia
Facillime redemeris. Nos coniugem
Tuam atque rem domesticam, ut tibi proximi,
Tuebimur.

Cognatus I.

Tuebimur.

Cognatus II.

Tuebimur.

Syngenes.

Nihilominus ubi te paratum scierimus,
Adusque portam prosequemur ampliter.

Cognatus I.

Te prosequemur.

Cognatus II.

Prosequemur insimul
Te summo honore et ampliter.

Hecastus.

Me miserum, ut est
Vana et caduca sanguinis fiducia!
Sic adiuvatis proximum?

Syngenes.

Cognate, si
Vis, hoc boni consule, quod offerimus! Vale!

Hecastus.

Heu
Parcere meis quidem volebam liberis,
Sed ab omnibus desertus hos cogar quoque

Mihi obsequentes atque comites reddere.
Eccos meum ob malum madentes lacrimis!

ACTUS III. SCAENA IV.

Philocrates. Philomathes, Hecastus. Trimetri.

Philocrates.

Tametsi uterque modo ex ephebis cessimus,
Non queo tamen, cum exaudiam patrem anxium,
Quin lacrimer.

Philomathes.

Quamvis et ipse sine patre
Amodo potissim vivere, tamen me quoque
Affectus idem permovens lacrimas ciet.

Hecastus.

Adeste, filii mei carissimi,
Adeste patri dubio in hoc negotio!

[C 1 a]

Philocrates.

Si quid, pater, possimus, auxilii tibi aut
Consilii uterque impendere, haud nos credito
Tibi defuturos! Quicquid armis bellicis,
Virtute corporis vel animo strenuo
Possim, pater, non tibi gravabor exhibere.

Philomathes.

Ad me quod attinet, pater, quicquid scio
Vel in sacris vel in profanis legibus
Vel in arte disserendi utraque vel integra
Philosophia, tibi iure totum vindica,
Ut interim sileam, quod et totum tibi
Me debeam. Id natura suadet, praecipit
Lex atque ratio postulat.

Hecastus.

Bene dicitis,
Gnati mei, et me sublevatis paululum.
Quando a propinquis igitur atque amiculis
Omnibus ad unum deseror, tum iudicis

Meme exigit censura inevitabilis
Nec solus audeam mihi male conscius
Petere pavendum iudicem, vos obsecro,
Quibus imperare assueveram, ut conficere iter
Mecum velitis atque adire iudicem.

Philocrates.

Quis iste iudex est, pater, quem nuncupas?

Hecastus.

Caeli imperator atque terrae maximus.

Philocrates.

Horrendus hic. Quis audeat eum accedere?
Nihilominus qua quove eundum ad principem?

Hecastus.

Per mortem in horridam et inviam regionem, ubi
Pro singulis dictis meis et actibus
Amodo recipiam praemia.

Philocrates.

Apage sis, pater!
Moriturus es?

Hecastus.

Moriar.

Philocrates.

Hodie?

Hecastus.

Hoc, fili, die.

Philocrates.

Quî scis, pater?

Hecastus.

Legatus aeterni Dei
Indixit hoc mortem mihi diplomate.

Philomathes.

Quin, mi pater, dilationes postulas?
[C1b] Quin superiorem iudicem appellaveras?

Hecastus.

Nullam sinit dilationem aequissimus,
Nullam quoque appellationem maximus.
Quapropter oro et obsecro, gnati mei, ut
Vestro parenti adsitis in discrimine
Causamque nostram vestra ope et patrocinio
Reddatis ex aegerrima meliusculam.

Philocrates.

Si cum hostibus, pater, tuis armis iubes
Aut viribus confligere, in Philocrate
Nullus timor, formido nulla per Herculem
Bellive detrectatio; sed horrida
Tecum subire mortis in discrimina,
Quod animus et natura abhorret, abnego.
Si quid tamen frater meus tibi Philomathes
Facere amplius sciat, velit vel possiet,
Per me licet.

Philomathes.

Prompta est voluntas, mi pater,
Tibi commodare plurimum scientia et
Industria, veruntamen pericula
Mortis subire non queo nec debeo
Hoc maxime, quod nesciam, si te queam
Iuvare coram iudice aut defendere.
Idcirco consilio meo fretus, pater,
Adhibe tibi mancipia et aeris plurimum,
Quibus imperes liberrime, ut, si quispiam
Tibi inferat violentiam, famuli adsient!
Causamque reddat, nisi queas defendere,
Mitem vel excusabilem pecunia,
Qua nil solet mage flectere animos iudicum.

Philocrates.

Iuxta meam sententiam locutus est
Frater. Decet magis obici periculo
Tua mancipia quam liberos, ne his perditis
[C 2 a] Nullus siet, qui hereditatem dividat.

Hecastus.

Sic, filii, sic deseritis et fallitis
Ultro patrem vobis benignum et obvium?
Qui vos genuit et enutrivit et extulit,
Sic spernitis?

Philocrates.

Non spernimus.

Philomathes.

Non spernimus.
Sed improbum iussum probe abnuimus. Vale!

Hecastus.

Heu,
Quid iam spei mihi reliquum? Si filii
Linquant patrem, quid reliqua tandem familia?
Tentabo, si quid imperando extorqueam.
Ocius adeste, singuli vernaculi,
Egredimini!

ACTUS III. SCAENA V.

Philoponus. Hecastus. Panocnus. Trimetri.

Philoponus.

Tu nos vocaveras, here?

Hecastus.

Vocaveram non vos modo, sed etiam alios
Famulos meos.

Philoponus.

Quid exsequi nos praecipis?

Hecastus.

Producite huc Plutum meum, meas opes
Et quicquid est pretiosum in aedibus, foras!

Panocnus.

Producimus.

Hecastus.

Sine remora!

Philoponus.

Absque ulla mora.

Hecastus.

Possem invocare coniugem cum ancillulis
Blandasque amiculas meas, quarum haud secus
Ac coniugis suavi consuetudine
Hucusque fruitus sum, satis genio meo et
Veneri obsequens, et quae me amabant plurimum.
Vereor tamen, ne forte sit frustraneum.
Quid audeant hic mulieres pavidissimae,
Ubi trepidat et fortissimus? Si liberi
Non audiunt, quid audiat me uxor procax?
Quis intus est garritus? Ecquis exiet?
Ipsa uxor est habetque, quod fert aegrius.

[C 2 b]

ACTUS III. SCAENA VI.

Epicuria. Hecastus. Ancillae duae. Trimetri.

Epicuria.

Quid est, marite, quod foras Plutum iubes
Ex abditis domus locis producier?
An morbus ad dementiam te corripit?

Hecastus.

Sine me, uxor, hoc die opibus hisce perfrui,
Qui crastino fortasse et his et gloria et
Vita carebo et omnibus, mortis quoque
Tremebundus ad regionem iturus horridam.

Epicuria.

Papae, marite, quid hoc, quod occipis loqui?
Tu mene, utroque filio, famulitio
Et omnibus bonis relictis profugies?
An non putem dementis hanc sententiam?

Hecastus.

Tace, mulier, ut audias, quod neutiquam
Insaniam! Vidistin' hunc paulo prius
Virum honore dignum et moribus gravissimum?

Epicuria.

Vidi. Isque me mirum in modum perterruit,
Mortem subinde et acre iudicium Dei
Aequissimi mihi memorans.

Hecastus.

Hic iam rato
Magni Dei cheirographo atque diplomate
Mortem mihi indicit et ad horridum statim
Citat tribunal iudicis, cui ne quidem
Unum queo pro milibus reddere. Itaque,
Coniux mea, oro et obsecro, etsi non queas
Causam meam defendere, ut commortua
Mecum profecta sis mihi solacio.

Epicuria.

Eheu, marite Hecaste, mors tibi imminet?

Hecastus.

Mors.

Epicuria.

Nulla prorsus tibi datur dilatio?

Hecastus.

Nulla.

Epicuria.

Ergo mortem obibis hoc die?

Hecastus.

Hoc die.
[C 3a] Pauloque post ipsam videbis me aggredi.

Epicuria.

Me miseram, ut est amara mors! Solum necis
Me territat vocabulum. Tibi consule,
Mi vir! Profecto non tibi ausim congredi.
Aurum cape atque argentum et omne famulitium!
Mors territat me, deprecor mortem.

Hecastus.

Vel has
Quaeso puellas linque mihi solacio!

Ancilla I.

Ne rogo sinas nos, domina, morti tradier!

Ancilla II.

Ne morte nos, domina, sinas occumbere!

Epicuria.

Servi tui tibi sint, vir, obsecro comites,
Sine mihi meas servarier pedissequas!

Hecastus.

Ut usque miser! Huc mancipia Plutum adferant!

Epicuria.

Mox efferent. Confidito; vim maximam
Pecuniae panumque pauperibus tuae
Pro animae salute impartiar. Mi vir, vale!

Hecastus.

O languidum solacium, si quid mihi
Male mortuo dispertias!

ACTUS III. SCAENA VII.

Philoponus. Panocnus. Plutus. Hecastus.
Trimetri.

Philoponus.

Manum admove!
Ut stas piger!

Panocnus.

Quod crassus et gravis admodum est!

Plutus.

Quid inquietor? Quo feror?

Philoponus.

Te herus vocat.
Hic Plutus est, here.

Hecastus.

Sistite, ut paucis loquar!
Heus, Plute, dormis?

Plutus.

Itane tractus dormiam?
Compacta pridem membra mea tot tractibus
Disiecta sunt, lassata sunt, soluta sunt,
Ut vix sibi usquam ex integro cohaereant.

Hecastus.

Mecum profectus hoc die causam meam
Iuves oportet apud pavendum iudicem.

[C 3 b] **Plutus.**

Quî caecus et crassus queam proficiscier?
Res quaslibet tibi domi expedivero.

Hecastus.

In alteram regionem oportet exeas.
Exi, stupide!

Plutus.

Non exeo, etsi distrahas.

Hecastus.

O Plute, mors mihi imminet. Servi mei,
Si non velis ultro, vel invitum quidem
Te transferent.

Plutus.

Non transferent. Prius quidem
Artus et ilia ruperint, quam transferant.
In morte nemini opitulor usquam gentium,
Quin magis ad alienum dominum transeo.

Hecastus.

Tentabo, num te mihi rebellem cogere
Possim et foras producere. Introducite
Vectesque validos comparate ocissime,

Quis contumax hinc transferatur longius!
Ego iam sequar.

Philoponus.

Paremus.

Hecastus.

Heu miserum virum!
Ut omne longe abest mihi solacium!
Nunc ingravescit corporis et animi dolor,
Nunc instat hora novissima, et nolim velim
Properandum erit, solusque iter vastissimum
Heu derelictus ab omnibus confecero,
Solumque terribili me oportet iudici
Assistere atque ibi rationem reddere,
Nisi fors queam Plutum foras producere.
Nunc ingrediar aedes meas, ut singulis
Rite ordinatis et habitu mutato huic
Accingar itineri omnium tristissimo.

CHORUS

Trochaici dimetri.

Defluentis instar undae
Universi cum dolore
[C 4 a] Procreati et educati
Morte ad ima labimur.
Ergo quid vires opesve,
Quid voluptas, quidve honores
Proderunt post fata, quando his
Omnibus privabimur?
Delicatus tum putrescet,
Fastuosus proteretur
Disque nudus obruetur
Pulvere, esca vermibus.
Corrigamus ergo nostram
Moribus vitam probatis,
Ne (quod absit) temporalem
Mors perennis aggravet!

ACTUS IV. SCAENA I.

Hecastus. Servi duo. Familia. Proximi. Amici
Trimetri.

Hecastus.

Ut iusseram, lento gradu praecedite
Meumque Plutum ferte cauti et commode,
Ne offensus ex incommodo mihi obstrepat!
Cum dixero vale ultimum et domesticis
Et proximis et amiculis, mox subsequar.

Servi.

Proficiscemur. Sed quem itineris ducem habebimus?

Hecastus.

Dux neutiquam defecerit: procedite!
Iam, uxor, vale; longum valete, liberi,
Valete, viscera mea! Iam nos separat
Amara mors.

Epicuria.

Coniux vale dulcissime!
Iam more turturis relicta compari
Vidua sedebo in aedibus.

Filii.

Vale, pater
Piissime! An sic nos relinques orphanos?
[C 4 b] Sic separat nos dira mors? Vale, pater!

Hecastus.

Valete proximi; valete amiculi!

Proximi.

Nos itane, Hecaste, deseres? Longum vale!

Hecastus.

Desertus ita vos desero.

Proximi.

Comitabimur
Te ad usque portam.

Hecastus.

Onerosum id est solacium.

Amici.

Concedimus.

Hecastus.

Sed deseretis denuo.
Hui, quis tumultus quaeve turba perstrepens
Sonat eminus? Iam ingens pavor mentem meam
Et horror artus occupat.

ACTUS IV. SCAENA II.

Servi duo. Hecastus. Amici. Proximi. Mors.
Trimetri.

Servi.

Mors, Mors adest
A tergo, Hecaste.

Hecastus.

Atat!

Amicus I.

Quid est, quod loquimini?

Amicus II.

Num mortem adesse dicitis?,

Servi.

Mors ipsa adest,
Horrenda imago, larva abominabilis,
Figura tam exsecranda, ut atrum daemona
Putetis obvium.

Proximi.

An fuga est consultior?

Servi.

Si sapitis.

Amici.

En!

Proximi.

Papae!

Servi

Fuge, here; nam te petit.

Hecastus.

Quo fugero? Et si fugero, haud effugero. Heu
Perii miser!

Mors.

Scelerate, sta, sta, perfide!
Quid hactenus summi tribunal iudicis
Accedere es moratus?

Hecastus.

Indutias mihi
Concede, formidanda Mors!

Mors.

Nihil moror.

Hecastus.

Obsecro, vel usque in crastinum.

Mors.

Haud in crastinum.

Hecastus.

Vel ad horulam.

Mors.

Vix annuo. Post horulam
Revertar huc et te vel invitum traham,
[C 5 a] Examinandum ad iudicem te pertraham
Et ad inferos obnoxium te detraham.

Hecastus.

Pro Iuppiter, iam cor meum tanto est mihi
Horrore mortis anxium, tantus quoque
Viscera mea aestus concoquit, ut (eheu dolor)
Nec mente nec corpore queam subsistere.
Et praeter haec foedissimorum criminum

Me terret affligitque conscientia,
Iudex superne iratus horrendum intonat,
Inferni et ater mihi dehiscit tartarus,
Vallant quoque undique me cruenti spiritus.
Neque ullus est ex omnibus caris meis,
Qui verbulum solacii mihi suggerat.
Quid restat itaque mihi miserrimo nisi
Vitae et salutis una desperatio?
Attendite et videte quaeso singuli,
Qui praeteritis, num dolor quisquam meae
Sit calamitati comparandus maximae! —
O vetus amica nobilis, Virtus mea,
Quam te gradu lento obviam video eminus!
Nisi tu adiuves, nihil salutis residuum est
Miserrimo. Heu defectus aegritudine et
Horrore Mortis imminentis concido.

ACTUS IV. SCAENA III.

Virtus. Hecastus. Trimetri.

Virtus.

Hic est amicus pristinus? Hic Hecastus est,
Qui me, priusquam deliciae, opes, stemmata
Mores bonos mutaverant, et coluit et
Veneratus est? Accedam eum, quanquam male
[C 5 b] De me merentem, pristinae memor viri
Erga me amicitiae atque consuetudinis.
Hecaste, salvus es!

Hecastus.

Salute nil mihi est,
Virtus mea, magis opus sub hoc discrimine,
Verum levare ad te quidem lumina mea
Pudor vetat et ingratitudo non sinit.

Virtus.

Quod ingruit discrimen et quibus indiges?

Hecastus.

Iam me rapiet amara Mors, neque ullus est
Ex omnibus notis meis, qui me suo
Consilio et auxilio iuvet; et utinam mihi hoc
Tu una licet indignissimo adsis tempore
Ferasque suppetias, deinde iudicem
Causae meae mecum profecta mitiges!

Virtus.

Quanta vides, Hecaste, macritudine
Confecta sim oblitaque situ, quod tu hactenus
Aliique cultum iure nobis debitum
Neglexeritis. Et quî potero sic sordida et
Languidula ducere te ad supernum iudicem
Causamque, ut ipse fatere, pessimam tibi
Defendere?

Hecastus.

O Virtus mea, fateor equidem,
Tuis beneficiis quod indignissima
Tunc reddidi, cum aetas vigebat lubrica,
Florebat et fortunula. At si tu modo
Me deseras, actum est salute de mea.
Iam namque desperatione perditum ut
Orci cibum me excipiet hiscens tartarus.

Virtus.

Urgent me, Hecaste, preces tuae moventque me
Lacrimae tuae, sed neutiquam valeam tibi
Prodesse sola, tametsi et incolumis siem.
Nae iustus arbiter secus tibi placandus est,
Quam existimas, nec sola tibi suffecero.
[C 6 a] Nihilominus te (ad me quidem quod attinet)
Non derelinquam nec tibi abfutura sum.
Iubebis interim te ab his vernaculis
Reponi in aedibus atque sacrificum tibi
Virum pium doctumque mox accersier,
Qui unum tibi auctorem salutis praedicet
Viamque, per quam iturus es, plane indicet.

Ego interim Fidei loquar sororculae
Tentaveroque, num valeat inducier
Te invisere; id quod si annuerit ipsamque tu
Receperis, tuae salutis spem fore
Confidito.

Hecastus.

O Virtus mea et meum unicum
Solacium, ferme reduxti ab inferis
Vitam meam. Laetus moriar, ubi id egeris.

Virtus.

Fidito, vale! Post paululum revertero.

Hecastus.

Revertere! O quanto est in hac quam in ceteris
Plus gratiae maiorque fidei integritas!
Quam caecus infelixque, dum felicia
Cuncta reputabam, aspicere dedignatus sum,
En ultro venit et, ab omnibus dum deseror
Mortalibus, spem praesidiaque suggerit.
Iamne aliquis egredietur ex famulis meis,
Qui me ferat sub tecta quique calicem aquae
Suffrigidae mihi porrigat? Me miserum, ut est
Mutata sors! Qui magna dudum iusseram,
Iam minima cogor postulare nec impetro.
Si qua pietatis viscera, famuli mei,
Succurrite atque in aedibus reponite!

ACTUS IV. SCAENA IV.

[C 6 b] Philoponus. Panocnus. Hecastus. Trimetri.

Philoponus.

Vocem tuam gementis audivimus, here,
Maesti tuamque calamitatem non sine
Dolore lacrimisque conspicimus.

Hecastus.

Quid est,
Pueri mei, quod me relicto perfidi

Fugistis? Hocine est opus famulantium?
Hocine proborum? Hocine et hero fidelium?

Philoponus.

Tanto fuimus horrore Mortis territi,
Ut non modo deficeret animus anxius,
Sed et genua, membra quoque cuncta labascerent.
Ignosce quaesumus atque praecipe, quid voles
Curarier! Nam Mortis extra angustias
Nil iusseris, quod difficile causabimur.

Hecastus.

Facile remitto. Ceterum satagite, quo
Primum omnium domo inferar, dein hausta aquae
Amplissimo pectus meum refrigerem,
Quod tantus aestus, tanta quoque sitis coquit,
Ut ne quidem Hebrus ipsa queat exstinguere!
Post indicate liberis, quî sese habet
Res nostra, ut ad me uterque sese recipiat,
Ut, si quidem morbo meo minus queant
Mederier, doctum virum quam ocissime
Piumque pastorem advocent, si quo modo
Animae meae verbo queat mederier!

Philoponus.

Fiet. Tu abi quaesitum heriles filios;
Ego solus aedibus suis herum ingeram.

Panoenus.

Non commode solus queas. Te iuvero. Ex
Penetralibus curabo adesse liberos,
Qui Morte dudum territi cum amiculis
Causa animi in horto obambulant.

Philoponus.

Recte. Leva igitur commode, ne viscera
C 7 a] Quassata motu non ferant!

Hecastus.

Ite placide!

CHORUS.

Carmine trochaico.

Morte iustus si occupetur,
Neutiquam tristabitur,
Mente sed feret ipsam alacri,
Quod refrigerabitur.
Nam beati scriptitantur,
In Deo qui obdormiunt,
Hinc quod omnibus quiescant
A suis laboribus.
Mors profecto ea pretiosa
In Dei conspectu erit,
Quam beato fine sancti
Sponte alacres oppetunt.
Ergo mortem non atrocem
Nec pavendam iudico,
Quod beatae porta vitae
Sit pie viventibus.

ACTUS V. SCAENA I.

Philocrates. Panocnus. Philomathes.

Trimetri.

Philocrates.

Panocne, ades, si fors tua indiguerimus
Opera, ne inertia tua tuaque acedia
Plus noceat intus quam foris negotium!

Panocnus.

In me quidem, here, mora nulla. Dum vis, utere!

Philomathes.

Actum, Philocrate, de patris salute, uti
Plane recenti ex lotio praeiudico.
Nam caerulea si tendit ad nigredinem
[C 7 b] Urina, mortem proximam denuntiat.
Sero meam medentis admisit manum.

Philocrates.

Si sic se habet res, mox hic ablegandus est.
Heus tu!

Panocnus.

Quid est?

Philocrates.

In vicum abito proximum!

Panocnus.

Abibo.

Philocrates.

Et inde sacrificum huc Hieronymum
Quam potueris celerrime deducito,
Sacra synaxi qui patrem, sed et oleo, ut
Decet, sacrato muniat!

Panocnus.

Deducam.

Philocrates.

Abi!

Philomathes.

Vide, moram ne feceris; mortem patri
In foribus esse dixeris!

Panocnus.

Sic dixero.

Philomathes.

Heus tu!

Panocnus.

Quid est?

Philomathes.

Arcamque mortuariam
Sume opera eadem ab arculario!

Panocnus.

Licet.

Philomathes.

Praeter suum morem citus proficiscitur,
Ut ratio temporis exigit. Nam mors patri
Certo imminet. Verum mihi nondum excidit,
Paulo quod ante dixeras, mi Philocrates,
De hereditariis bonis contraque fas
Contraque leges civicas. Non te sinam
Bonis frui potioribus, nisi iure me
Superaveris.

Philocrates.

Egon' tuis praerancidis
Sive abrogatis attinebor legibus?
Clipeum, machaeram et lanceam mihi vindico
Pro legibus. Quod militarem ad balteum ex
More attinet, gladii tuebor legibus.

Philomathes.

Si viribus, non iure agas, tu viceris.
Verum suos et iura habebunt praesides.
Secus loqueris, cum tibi diem dixero
Coramque iudice repetundarum egero.

Philocrates.

Abi in malam rem, postume! An mecum putas
Hereditarias quod ex aequo patris
Possessiones dividas, qui me iunior
[C 8 a] Et natu et ordine vilior? Per Herculem
Te hoc ense malim confodere quam cedere.

Philomathes.

Nec ego tibi latum (quod aiunt) culmulum
Cessurus sum nec ensibus me territas.
At modo silendum honore pro domestico.
Praesto est enim, quem patri adesse voluimus,
Probus vir et Dei sacerdos maximi:
Praecedat hic.

Philocrates.

Salve! Sequamur intro, ne, ut
Fieri solet, pauperibus elargirier
Et exteris plus, quam sat est, persuadeat.

Philomathes.

Id cautum oportet maxime. Novimus enim,
Quam tum sibi, tum ceteris, quibus favent,
Legata larga extorqueat id hominum genus,
Dum morte ditem terminandum viderint.
Eamus! Aliae en appropinquant nescio
Quae feminae recta petentes hunc locum,
Vultusque honestas dignitatem nuntiat.

ACTUS V. SCAENA II.

Virtus. Fides. Trimetri.

Vir ipse, de quo dixeram, soror mea,
Quod poscat id tua caritas nunc dicier,
Probis quidem natalibus progenitus est,
Probe educatus, recte et institutus est,
Mecumque castam habere consuetudinem,
Probitatem amare vitiaque exsecrarier.
Verum puer ubi lubricam adolescentiae
Aetatem attigit, sensim incipit labascere,
Admittere vitia et mei obliviscier.
[C 8 b] Quid immoror multis tibique molesta sum?
Is tandem in omne flagitium praeceps ruit.
Hunc destitutum viribus, sed et omnium
Mortalium solacio miserata sum
Memor favoris pristini atque animum indidi
Et spem salutis maximae, si te queam ad
Clementiam, quae solita servare impium,
Inflectere. Ergo, Fides soror carissima,
Per viscera misericordiae Dei obsecro,
Ut huic misello apud supernum iudicem
Opem feras, cuius merita vel nulla sunt
Vel minima sunt, quo honor Dei cum gloria

Multiplicetur ampliter, sed et ovicula,
Pro qua suum pastor profudit sanguinem,
Per te ad salutis tramitem reducta non
Pereat, sed habeat vitam in aevum et gloriam.
Si quid mea imbecillitas in rem tuam
Facere queat, promptam et paratam inveneris.

Fides.

Queas, soror, quod absque te otiosa sit
Opera mea, ne dicam subinde mortua.
Verum quid hic prodesse possim perfido,
Qui me quoque olim ut inutilem reiecit et
In luxu, honoribus opibusque fisus est?
Nec possum ei fore adminiculo, nisi Deus
Paterque luminum suam per gratiam
Me denuo iam supplici restituerit.
Ad Christum enim nemo venit, nisi quem pater
Caelestis ultro traxerit. Sit quispiam,
Qui evangelium ei praedicet, videlicet
Per Christum Iesum missionem criminum,
Fortasse clementissimus pater homini
[D 1 a] Me denuo donaverit, quoniam quidem
Fides ab auditu, sed auditus Dei
Per verbum in animum funditur.

Virtus.

Sic censeo.
Et sic agendum hortata sum, quin et modo
Istuc sacerdos doctor agit in aedibus.
Veni igitur, ingrediamur intro, te obsecro,
Soror, antequam nos antevortat aut Satan
Antiquus hostis Morsve praesentissima,
Ut, si tui sit usus, adsis proxima.

Fides.

Pium est, soror, quod me rogas. Praei, sequar.
Nam taeter huc sese ingerit modo spiritus.

ACTUS V. SCAENA III.

Satan solus. Trimetri.

Causam meam scripturus absolutius
Adversum Hecastum hic paululum desedero,
Ne, si quid insit falsitatis maximis
Facinoribus, res tota veniat in gravem
Foedamque controversiam. Abstinete vos,
Quotquot theatro adestis, a petulantia,
Nisi si velitis et hos cachinnos scribier.
Primum omnium superbus est et arrogans,
Superbus est et arrogans, et arrogans,
Tum in aedibus, tum in aedibus; tum in vestibus,
Tum in vestibus. Iam reliqua tacitus scripsero,
Loquaculi ne exaudiant et deferant.

ACTUS V. SCAENA IV.

[D 1 b] Sacerdos. Hecastus. [Fides. Virtus]. Trimetri.

Hieronymus.

Confessione iam tuorum criminum
Tandem absoluta, Hecaste, muniendus es
Sacra synaxi et unctione mystica,
Nisi te in fide Christi haesitantem invenero.
Credisne pro tua salute et omnium
Mortalium venisse filium Dei
Iesum in orbem perditum, verum Deum
Verumque partum virginis?

Hecastus.

Sic inquiunt,
Sic me quoque legere memini.

Hieronymus.

Credisne eum
Vixisse cum mortalibus sine crimine
Tandemque suffixum cruci atque mortuum?

Hecastus.

Sic inquiunt, quin et sepultum hunc asserunt.

Hieronymus.

Respondeas pro te volo. Anne tu quoque
Credis, quod alii scriptitant et dictitant
De Christo Iesu filio Dei unico?

Hecastus.

Quî credere renuam viris gravissimis,
Scriptis suis qui haec prodidere fidelibus?
Quis ambigat narrasse vera Sallustium?
Quis Livium? Quis Caesarem? Quis ceteros?

Hieronymus.

Credisne mortuum et sepultum, tertio
Die resurrexisse vivum a mortuis?

Hecastus.

Et id astruunt Evangelistae singuli
Dieque quadragesimo palam suis
Cum gloria assumptum fuisse ad aethera et
Patris sedere ad dexteram. Quis haesitet
Posse omnia Deum, si velit, παντοκράτορα.

Hieronymus.

Secede, nondum adhuc tibi locus est, Fides.

Hecastus.

An non fides est credere?

Hieronymus.

Fidei actus est
Credere quidem, valiturus haud tamen tibi,
[D 2 a] Ni ex vivida et vera fide processerit.
Nam et daemones credunt tremuntque perfidi.

Hecastus.

Quae vivida igitur est fides, quam praedicas?

Hieronymus.

Paulatim eam, si intenderis, docebo te.
Credis, quod omnia, quae patravit filius

Dei unicus, tibi redimendo gesserit,
Tibi natus est, tibi vixerit, tibi mortuus
Sit, tibi sepultus et tibi surrexerit
Mortemque tibi devicerit?

Hecastus.

Miserrimum
Me praedicas. Quanto magis enim haec replicas,
Tanto magis mihi dolorem exaggeras
Barathroque desperationis admoves,
Qui his omnibus per sordidam vitam meam
Me reddidi indignissimum. Nam scio equidem,
Quod non sibi, qui iustus est, verum suis
Cultoribus cunctisque peccatoribus,
Qui veritate ab agnita se sceleribus
Non denuo immersere pestilentibus,
Foedissimis gravissimisque —

Hieronymus.

Ades, Fides!
Nam conscia sceleris in Deum admissi metu
Et paenitudine mens viri iam tangitur.

Fides.

Haec tria quidem, cognitio nempe criminis,
Horror geennae et paenitentia, laeta sunt
Verae salutis omnium primordia.
Iam perge, ut in Deum excites fiduciam!

Hieronymus.

Credisne sanctam ecclesiam et omnium
Fidelium communionem?

Hecastus.

Maxime.

Hieronymus.

Carnis quoque resurrectionem?

Hecastus.

Maxime.

Hieronymus.

Et vitam in aevum gloriosam?

Hecastus.

Maxime.

Hieronymus.

Quid igitur articulum unicum, qui insertus est,
Remissionem criminum, aegre creduis?
[D 2 b] Putas, Hecaste, quod is pater, qui te semel
A morte, cui te addixerat, per unicum
Gnatum suum redemit, omnibus tuis
Tibi remissis criminibus haud possiet
Tibi denuo laxare quamvis maxima
Tua scelera et primae saluti reddere,
Cui subest, cum voluerit, posse omnia?

Hecastus.

Potest quidem, qui omnia potest; potest quidem,
Mi domine, condonare si velit, sed haec
Obstat mihi scelerum meorum enormitas,
Quae iram tremendi iudicis mihi provocat.
Potest quidem; sed quî velit, qui iustus est?
Heu quod reliqui te improbe, Virtus mea,
Sine qua salutis nil mihi spero reliquum!

Virtus.

Non frangat haec te res, Hecaste; nam fide
Neglecta virtus est tibi recuperabilis.
Te doceat hoc pastor tuus verbo Dei.

Hieronymus.

Virtus quidem semper Deo accepta est, tamen
Non sine fide nec absque misericordiae
Fiducia. Mi Hecaste, non credis Deum
Ut maximum sic optimum? Num maior est
Illi potentia, Hecaste, quam clementia?
Cur velle non speras tibi misererier,
Quem posse praedicas tibi remittere?

Credisne tam remissionem criminum
Quam Christum et ortum et passum et in cruce mortuum?
Non haec perinde ac illa pars fidei tuae?
Christusne ob hoc natus, cruentus, mortuus,
Ut criminum remissionem creduas?
Neque hoc modo est credendum ei, quod possiet,
Sed et quod omnibus sibi fidentibus
D 3 a] Velit remittere, immo quod remiserit.
Si corde enim credas, quod ore fateris, ut
Quod pater Iesum a mortuis revocaverit,
Servaberis nec imminet periculum.

Hecastus.

Pie mones et lacrimas mihi excutis
Durissimo. Sed qui velit, qui iustus est?
Permittat impunita tanta flagitia?
O si mihi persuadeas, Hieronyme,
Erga me ita benevolentiam Dei mei,
Quemadmodum omnipotentiam persuadeas,
Aequanimius quamvis amaram et horridam
Mortem imminentem exciperem et alacrius
Profectioni accingerer.

Hieronymus.

Iam asta, Fides!
Ostendero tibi Deoque propitio
Persuasero. Quomodo velit, qui iustus es,
Obieceras. Per Christum Iesum filium
Suum unicum, respondeo, quem in hoc pater
Demisit orbi perdito, quo ostenderet
Magnum suum erga nos favorem et gratiam.
Usque adeo namque diligebat perditos,
Ut filium suum unigenitum mitteret,
Quo omnis, qui in illum creduat, non occidat,
Sed vita in aevum gaudeat. Posuit enim,
Qui iustus est, iniquitates omnium
Nostrum innocenti in filio, quo mortuus
Unus pro hominibus omnibus mortem aboleat

In singulis. Quod ergo ego, quod tu quoque et
Quod singuli vel qui ante nos fuere vel
Sunt vel futuri sunt, Deo peccavimus,
Id omne in uno filio in cruce mortuo
Abolebitur, si lapsi in hunc crediderimus,
[D 3b] Omnem si in hunc fiduciam posuerimus.
Nam sic tulit nostrum omne delictum suo
In corpore, ut iam nulla sit damnatio
Nobis reliqua, qui Christo Iesu nitimur,
Nec habeat in iustis pater, quod puniat,
Pro quibus in horridam necem illum tradidit.
Fuge ergo, Hecaste, ad Christum Iesum et spem tuam
Fiduciamque totam in illum colloca,
Per quem tuorum criminum, si credis his,
Mox assequere remissionem et gratiam!

Hecastus.

Certon' mihi istuc astruis, Hieronyme?

Hieronymus.

Certissime; nil haesites, Hecaste! Nam
Verbum Dei haudquaquam potest fieri irritum.

Hecastus.

O mi Deus, videor renatus denuo.
Tribuat tibi Deus vicissitudinem,
Mi Hieronyme, quia, nisi tuo fretus forem
Ex institutionibus solacio,
Paulo minus habitaret anima mea dolens
Apud inferos. Mi domine Iesu, credo te
Meae salutis gratia in cruce mortuum et
Sanguine tuo meum solvisse debitum.
Tu solus es mea vita, mea fiducia,
Tu solus es meae salutis ancora.
Respice, pater mitissime, in faciem obsecro
Christi tui, spinis vide caput obsitum,
Fossas manus, fossos pedes, membra lacera,
Vide vulnera, vide profluentem sanguinem

Nec iudices, cui redimendo perdito
Oppignerasti in morte vitam filii!

Hieronymus.

Ne dubita, Hecaste, per hanc fidem iam solveris
Ab omnibus, quibus obligaris, debitis.
[D 4 a] Dominus tuas iniquitates transtulit.

Hecastus.

Credo. Sed est, quod adhuc parit mihi scrupulum:
Mors horrida atque aspectus atri daemonis,
Quis terribilius (inquiunt) nil hominibus,
Post paululum quos adfuturos arbitror.

Hieronymus.

Aderunt profecto, at eis Fidem atque Ἀρετήν tuam
Individuas comites tuas opposuero,
Quae in omnibus periculis te munient.
Si languida est Virtus, Fides validissima
Ipsam tibi suffulciet. Virtus Fidesque,
Adeste huic vobisque fidentem amodo
Adversus hostes obstrepentes protegite!
Abeo. Vale! Revertar, ut te muniam.

Hecastus.

Valeto, doctor optime! Actutum redi!
Adeste nunc, Virtus mea et Fides mea,
Liceatque paulum mihi vos alloqui!

ACTUS V. SCAENA V.

Mors. Satan. Trimetri.

Mors.

Satan, quid agis?

Satan.

Ago, quod mihi conduxerit.
Quoadusque te morabor, improba bestia?
Dum tu pararis, annus est.

Mors.

Quid obfui?

Satan.

Quid obfui, inquis, belua? Viden' sacrilegum,
Qui hinc exiit? Cuius timeo susurrio
Haec te morante elapsa praeda nunc meis
Est dentibus. Tu ingrata prorsus es meis
Beneficiis, quae per me in orbe amplissima
Imperia dilataveris, nam te Deus
Ab initio non condidit. Succurrat hoc,
[D 4 b] Quod me invidente homini sato, ubi iam lapsus est,
Tu primum in orbem ingressa sis et hactenus
Grassata in omnes, pauculos post nauseam
Mihi glutiendos admoves. Atque o utinam
De te queam me ulciscier!

Mors.

Tu me, Satan,
Ingratitudinis arguis, cum et ipse sis
Ingratior me multo et impudentior.
Quotquot tibi voranda milia defero,
Minus tibi immemori obtulisse iudicor.
Ut interim non exprobrem, quod ne quidem
Unum bolum deglutias, quem non tibi
Praemanderim. Verum tuo insaturabili
Quod pauciores ingeramus rictui,
Non imputandum nostrae erat socordiae,
Quoniam leo, qui exsiliit ex Iudae tribu,
Is regna nostra plurimum turbavit et
Utrique nostrum maximam cladem intulit.
Nam mors mihi tibique morsus factus est.
Saevire in animas solita simul et corpora
Vix modo sinor saevire nuda in corpora.
Quos tu quoque impellere solebas ad tua
Nullo vetante tartara, hos si Christus hic
Defenderit, te invito ad aethera transvehet.

Satan.

Verum est, soror; cessent querelae inutiles!
Rem nostram agamus, ut hactenus consuevimus:
Iuvenibus insidiemur et silicerniis,
Nullum sinamus, si queamus, omnium
Hinc evolare nec migrare ad aethera
Et in hoc scelesto id exigamus primulum.
Praeibo, tuque me sequeris postea.
Nam cum illo erit mihi longa controversia.

[D 5 a] **Mors.**

Vade; interim hic mihi stimulus acuendus est.

ACTUS V. SCAENA VI.

Hecastus. Fides. Satan. Virtus. Trimetri.

Hecastus.

Solaris atque roboras me, mea Fides.
Putasne, mortuus homo rursum vivet et
In hac mea videbo carne Deum meum?

Fides.

Videbis oculis his die novissimo
De putri et arido excitatus pulvere.
Canente enim tuba resurgent mortui
Corruptione liberi. Nil haesita!

Hecastus.

Non haesito. Quid igitur obstat, quo minus
Mori audeam et carnem sinam hanc putrescere?

Fides.

Nihil.

Hecastus.

Nihil timendus hostis [est mihi]
Taeterrimus, quem adesse iam praesagio?
Nihil ipsa Mors cunctis pavenda, ut inquiunt,
Mortalibus?

Fides.

Paveant ii, qui sine fide
Post scelera postque flagitia hinc tandem emigrant.
Tu fidito! Nam his hostibus me opposuero et
Te protegam.

Hecastus.

Hui, monstrum horridum! Obvia, Fides!

Fides.

Contra crucem nullum valet periculum.
Signo hoc vetabo hostemque propulsabo. Tu
Fidito. Quid astas hic, cruenta bestia?
Hem sta foris! Nihil hic tibi negotii.

Satan.

Nihil est quidem tecum mihi negotii, o
Perfida, sed iste scelestus est meus.

Fides.

Tuus?
Quo iure?

Satan.

Quo? Legum Dei transgressor est
Meisque paruit hactenus, quemadmodum
[D 5 b] His codicillis veteribus, novis quoque
Probabo.

Fides.

Lege!

Satan.

Primum omnium superbus est
Et arrogans tum in aedibus, tum in vestibus.
Laemargus est, scortator est, adulter est,
Oppressor est, detractor est, derisor est,
Odiosus est et invidus, donat nihil,
Orat nihil, ieiunat aut vigilat nihil,
Nihil boni unquam gessit, at semper mali
Quam plurimum. Haec praecipua capita criminum
Sunt; cetera articulatius sub ultimo

Examine et coram supremo iudice
Citavero. Haec meum hunc fore satis arguunt.

Virtus.

Satis arguunt, mendax Satan, hunc fore tuum,
Qui veritatis admodum parum obicis,
At falsitatis plurimum?

Satan.

Quî plurimum?

Virtus.

Nihil boni unquam gessit (ut tantum tibi,
Respondeam, pseudographe) in pueritia
Vel prima in adolescentia, quando nihil
Praeter Deum et probitatis exercitia in hoc
Deprendere potueras? Quid? An nil interim?
An non vel hoc in tempore est virtus viro
In voto et in opere, modo vita sit comes?
Num opus bonum dolere, flere et credere
In Christum Iesum, ut nunc vides?

Satan.

Tacebitis-
Ne, virulentae et perfidae? Negare non
Audebitis, quin ipsus haec admiserit.
Loquatur ipse! Num tua haec facinora sunt?
Nonne haec patrasti scelera? Quid submurmuras?
Quod conscientia dictat, eloquere palam!

Hecastus.

Heu,
Fides mea, omnia teste conscientia haec
Mea facta sunt. Actum est salute de mea,
[D 6 a] Nisi tu adiuves.

Fides.

Fide et sile! Refellam enim
Tibi cuncta, quan obiecit vel obicere queat
Coram superno iudice.

Hecastus.

O utinam queas!

Fides.

Fide et sile! In spe namque et in silentio
Tua fortitudo erit.

Hecastus.

Silebo.

Fides.

Heus tu, Satan,
Omnem tuam calumniam probat irritam,
Quia iustus est neque talis est, qualem arguis.

Satan.

Non est? Negare non potest, quin omnia haec
Multoque plura his scelera patraverit.
Pseudographum me neutiquam probaveris.

Fides.

Probabo. Nam si talis aliquando fuit,
Nunc iustus est.

Satan.

Quî iustus est? Quo iure? Quo
Iudice? Quibus meritis? Quibus pretiis? Quibus-
Ve paenitentiae operibus?

Fides.

Simul omnibus
Respondeo. Habet hic advocatum apud patrem
Et iudicem supremum, Iesum filium
Illius et iustissimum et piissimum.
Huius quidem iustitiam et omnia merita
Sua arbitratur atque se iustum aestimat.

Satan.

Quid illi et huic commune ais?

Fides.

Multum quidem
Modum per omnem. Iure namque duplici
Regnum patris sui Iesus hic sibi vindicat:
Primum quod heres est, deinde quod etiam
Merito suo, sanguine suo morteque sua,
Cum iustus esset et neci prorsus nihil
Deberet, hoc iure optimo potitus est.
Iure altero suam sibi cum patre suo
Hereditatem vindicat, verum altero
Hecaston hunc, quia pius est, iustificat et
Per gratiam sibi coheredem facit.

Satan.

Ergone Deus iniustus est, qui scelera tot
[D 6 b] Et tanta non ulciscitur?

Fides.

Plane ultus est
Et graviter ipsa in filio, quem pro omnibus
Peccantibus acerbissimae morti crucis
Contradidit, quo omnes, qui illum creduant,
Non occidant, sed vita in aevum gaudeant.
Hic credit, ergo iustus in fide sua
Te invito in aevum cum Deo victurus est.

Satan.

Victurus est? Non dixeris in ultima
Discussione iudicis, ubi singula
Et dicta et acta et cogitata exactius
Obtrusero.

Fides.

Ne glorieris; nam pari,
Quo nunc, tua argumenta tunc refellero
Dilemmate.

Satan.

Hei conatus est meus irritus.
Vah Πίστις exsecranda, quantum obes mihi

Tua ἀπιστία! O si te potessim ulcisci et his
Te dentibus velut hanc schedam discerpere!

Fides.

Funeste, abi, descende in atra tartara!
Nam mox Hecastus ad astra scandet lucida.

Satan.

Propulsus hinc videbo, si ne aliis queam
Imponere, ubi prototypon hoc reposuerim
Tuto in diem novissimum. Iam Mors adest
Passura mecum mox repulsam, ut arbitror,
Non disparem. Nam sacrilegus hic e pyxide
Sua, uti solet, aegro vitae edulia porriget
Aditumque leto neutiquam laetum sinet.
Latebo in hac cavernula, quo conspicer,
Morti quid adventus ferat serotinus.

ACTUS V. SCAENA VII.

Philomathes. Hieronymus [cum Acolyto]. Trimetri.

[D 7a] **Philomathes.**

Mortem imminere debili praesagio
Ex pulsu et atro lotio. Quid sacrificus
Moratur, ut patri prius synaxin et
Sacram unctionem porrigat? Sed eccum eum
Cum Acolyto bonae spei adolescentulo!

Hieronymus.

Salve, Philomathe!

Philomathes.

Salvus es!

Hieronymus.

Qui sese habet
Pater aeger? Anne spes aliqua salutis est?

Philomathes.

Nulla est, ut atrum hoc lotium atque languidus
Arteriarum pulsus indicant. Subi

Tectis celeriter, ne probro nobis siet,
Si non sacris munitus hinc decesserit!
Profecto enim Mors ipsa praesentissima est
Et horror illius mea artua concutit.

Hieronymus.

Sequere!

Philomathes.

Praei!

ACTUS V. SCAENA VIII.

Mors. Fides. Trimetri.

Mors.

Sat distuli. Iam tempus est,
Ut spiclum in hunc Hecastum acutum torqueam,
Cui hactenus, quanquam Satan aegerrime
Tulit, data est dilatio. At iam sentiat,
Quam rigida nostra imperia sunt. Aequo pede has
Ditissimi pulsabo ut aedeis pauperum.
Hecaste, Hecaste, aperi fenestram! Mors adest.

Fides.

Quis pulsat improbe has foreis? Tu belua?
Tu omnem familiam territas?

Mors.

Ego pulsito,
Ego territo omnes pro mea libidine.

Fides.

Tyrannidis, non iuris haec praesumptio.

[D 7 b] **Mors.**

Hoc iure dominor omnibus viventibus,
Nedum hominibus, quorum modo hunc, modo alterum,
Non aliter atque pastor oviculas suas,
Deglutio.

Fides.

Atqui istud lupi, haud pastoris est.

Scioque futurum, quod ruet regni tui
Pars altera. Violenta nulla diutina.

Mors.

Nunquam futurum suspicor. Sed alteram
Quam tu mihi partem auferendam suggeris?

Fides.

Regni tui partes duas experti erant,
Quoscumque Adam praevaricator severat,
Utrasque diras atque formidabiles
Gemina tyrannide, nempe mortem duplicem,
Et corporum primam et secundam spiritus,
Praesentis illam et hanc futuri saeculi.
Mortem secundam filius Dei abstulit,
Dum saeviente te quidem in cruce mortuus
Vivusque te invita regressus ab inferis
Mors tua fuit. Tum aeternitatem sustulit
Tuae tyrannidis omnibus, qui partem habent
In prima ἀναστάσει.

Mors.

Qua anastasi putas?

Fides.

Qua quemadmodum de te triumphans filius
Per gloriam patris sui surrexit, ut
Ita per fidem ipsi suscitati a mortuis
Operibus in novitate vitae obambulent.
Hanc partem habens Hecastus hic, quanquam aeger est,
Minas tuas deridet et stimulos tuos.

Mors.

Deridet? At iam sentiet, quam temere ea
Deriserit.

Fides.

Deridet, et scitissime,
Mortem quod hanc vitae sciat portam fore,
Cupiens resolvi ergastulo et Christo frui,

Certo futurum praesciens corpusculum hoc,
[D 8 a] Licet putrescat maxime, novissimo
Tamen die resuscitandum ad gloriam.
Ubi tunc erit stimulus tuus? Ubi tunc erit
Victoria tua et arrogantia? Anne tunc,
Qua nunc videre in corpora haec grassarier,
Destructa erit regni tui pars altera?
Nonne in tua victoria absorbeberis?
Ingredere nunc et omnibus nervis tuis
Grassare in hunc! Non obfuisse videberis,
Sed profuisse plurimum, cui gloriae et
Vitae perennis tramitem patefeceris.

Mors.

Videbo mox, quid possiem. Quam plurimos
Video interim, qui magna de se iactitant,
At posteaquam ad proelium pervenerint,
Conterriti dilationes postulant.

Fides.

Qui audacia suisque freti viribus
Tibi congredi voluere, talia perpeti
Non ambigo. Veruntamen quicum Fides
Pugnaverit, tua non pavebit spicula.

Mors.

Tun' ergo congressura mecum in proelium?

Fides.

Congrediar. atque cliens minas per me tuas
Irriserit.

Mors.

Me obtundis his sermonibus.
Si sic agatur, invocandus est Satan.

ACTUS V. SCAENA IX.

Hieronymus. Hecastus. Fides. Virtus. Trimetri.

Hieronymus.

Audisti, Hecaste, quemadmodum pro te Fides
Certaverit. Munitus insuper es sacris

Mysteriis. Cave expavescas hostium
[D 8 b] Horum timorem enervium, sed ab angelis
Confide te carnis solutum vinculis
Mox evehendum in alta refrigeria!

Hecastus.

Sic
Fido, domine, laetusque Mortem aspexero
Tantoque itineri alacriter me accinxero,
Sciens me Iesum habere coram iudice
Summo et patronum et advocatum strenuum.
Sed te obsecro, Fides mea et Virtus mea,
Ne deseratis me ultimo in discrimine.

Fides.

Non deseram vel hinc euntem vel patris
Summi tribunal iudicis cum accesseris.

Virtus.

Nec ego Fide suffulta modo te deseram.

Hecastus.

Euge, adsit huc cruenta Mors et ut eximat
Me ergastulo, sua vibret in me spicula!

Fides.

Praesente sis animo! Ipsa Mors nunc ingruit.

ACTUS V. SCAENA X.

Mors. Fides. Hecastus. Satan. Trimetri.

Mors.

Ubi est homo tanta tumens superbia,
Ut audeat minas meas et spicula
Animo volenti interritoque excipere?

Fides.

Adest,
Nec est superbia haec vel arrogantia,
Sed in Deum fidei bonae constantia.
En tibi hominem!

Mors.

Moriturus es.

Hecastus.

Et id expeto.

Fides.

Responde ei voce, ut vales, nihil haesitans!

Hecastus.

Nihil haesito, sed languido vox deficit.

Fides.

Sic inquies: Fera bestia sitibunda Mors,
Non timeo te aut ictus tuos.

Hecastus.

Non timeo te aut.
Ictus tuos.

Fides.

Nil metuo acutam cuspidem.

E 1 a] **Hecastus.**

Nil metuo acutam cuspidem.

Mors.

Nihil?

Hecastus.

Nihil.

Mors.

Quo fretus auxilio?

Hecastus.

Fide.

Mors.

Hei!

Fides.

Sed gaudeo
Nunc emori.

Hecastus.

Sed gaudeo nunc emori.

Fides.

Et

Cum Christo in aevum vivere.

Mors.

Hem, tabesco iam.

Hecastus.

Et

Cum Christo in aevum vivere.

Mors.

Haud consto mihi.

Fides.

Corpus meum licet modo imputrescat in
Sterquilinio.

Hecastus.

Corpus meum licet modo
Putrescat in sterquilinio.

Fides.

Credo die
Novissimo resuscitandum ad gloriam.

Hecastus.

Euge,
Ad gloriam.

Fides.

Quapropter in manus tuas,
Domine Deus, commendo spiritum meum.

Hecastus.

Quapropter in manus tuas, domine Deus,
Commendo spiritum meum.

Fides.

Grassare nunc,
Cruenta Mors, pallescat os, genae cadant,

Oculi haereant cutisque lurida squaleat,
Singultiat flatus in anhelo pectore,
Animamque promptam ardente tandem spiculo,
Quo ictu vales, vitae perenni separa!
De te, velis nolis, triumphat spiritus.

Mors.

Morere, caro!

Fides.

Euge, quietum ad Abrahae sinum
Ab angelis deducta mens nobis quoque
Comitantibus sursum evolat.

Mors.

Fides, Fides
Malefida, quam mihi et Satanae incommodas!
Confusa sum.

Satanas.

Victi sumus. Fugiamus hinc!

ACTUS V. SCAENA XI.

Philoponus. Cognati. Amici. Uxor cum familia.
Trimetri.

[E 1 b]

Philoponus.

Heu, heu tribules, flete Hecastum mortuum!

Cognati.

Quid ais? Hecastus mortuus?

Amici.

Quid clamitas?

Philoponus.

Hecastus est mortuus et huic saligno mox
Loculo inserendus est.

Amici.

Hecastus mortuus?
Eheu, mi Hecaste, doleo, quod te amisimus,
Virum integrum et in omnibus amicum strenuum.

Cognati.

Quis contineat a lacrimis, tanto viro,
Tam nobili, tam divite et iuventa florido
Suis adempto!

Amici.

Et morte tam subitanea.
Ubi uxor est? Ubi liberi?

Philoponus.

Maeroribus
Se macerant in aedibus miserrime.
Eccos! Simul familia tota proruit
Suffusa lacrimis. Valete!

Cognati.

Pro dolor!
Tibi dent Dii, cognata nostra Epicuria, et
Gnatis tuis in his dolendis casibus
Laetam vicissitudinem!

Epicuria.

Heu viduata sum
Viro optimo infelix mulier! Heu me, viro
Meo optimo viduata sum!

Amici.

Nos quoque viro
Fidissimo. Iam quique pullis vestibus
Studebimus operirier, quo post die ab-
Hinc tertio digne exsequamur funera.

Cognati.

Dignissime exsequias viro apparabimus,
Non aureo parcemus uni aut alteri.
Atque utinam eum queamus huc reducere
Mille aureis et has redimere lacrimas!

Philocrates.

Dulcis mihi affectus patris lacrimas ciet.

Philomathes.

Quidni excitet? Totus quidem videor mihi
In lacrimas resolvier.

Epicuria.

Pro, pro dolor!
Quis det meis oculis perennes lacrimas
Aut sempiterna flumina, ut cordis mei
E 2 a] Ter maximos queam dolores prodere!

Ancilla I.

Heu,
Te ploro, Hecaste, mortuum.

Ancilla II.

Heu, quis non fleat
Te, amice Hecaste, mortuum? Quis non fleat?

Epicuria.

O amica lumina, labra blanda, amabiles
Genae, ut modo tenebricosa, pallida, squalida!
Ut cuncta membra corporis flaccentia! Heu
Dolor, dolor! Quin ipsa pro te mortua?
Sic separas carissimos, amara Mors!

ACTUS V. SCAENA XII.

Hieronymus. Grex. Trimetri.

Hieronymus.

Quis planctus iste inordinatus, mulier, est?
Quis, liberi et reliqui viri, quis planctus hic?
Id scire vos de dormientibus volo,
Vos, inquio, quos Christiana roboret
Merito fides, ut non perinde ac ceteri,
Vitae quibus spes nulla, contristemini.
A mortuis si credimus quod filius
Dei excitatus est, per illum nos quoque
Praemortui de pulvere excitabimur,
Quandoquidem dominus Iesus in die
Novissimo descendet in tuba Dei e

Caelestibus, dein resurgent mortui.
Nam tuba canet caelestis, et qui dormiunt
Corpore resurgent integro. Nihil igitur
Tristemini vestro de Hecasto sub fide
Hac Christiana mortuo, sed hoc magis
Laetamini, quod absolutus corporis
Molestiis in pace Christi dormiat
[E 2 b] In regeneratione reddendus quidem ad
Vitam omnibus Christi in fide morientibus!

Epicuria.

Ergone vita residua est morientibus?

Hieronymus.

Residua, non iustis modo, sed et omnibus,
Qui post peracta scelera redeunt ad Deum
Per paenitentiam.

Liberi.

Ergo post furta et stupra
Sperabimus vitam beatam cum Diis?

Hieronymus.

Sperabitis fide atque paenitentia.

Cognati.

Sperabimusne et nos?

Hieronymus.

Item sperabitis.

Amici.

Nos itidem?

Hieronymus.

Identidem. Neque est acceptio
Personae apud Deum, sed omni de gente, qui
Timet Deum et operatur ea, quae iusta sunt,
Acceptus est ei. Hinc simul resipiscite
Et corrigite, quod in Deum peccastis, ut,
Cum venerit iudex die novissimo,

Non ad necem, sed ad perennis gloriae
Vitam resuscitarier mereamini!
Ad quod nihil lacrimae hae valent nec luctus hic
Nec pulla vestis nec cucullus prominens,
Sed vitae honestae melior institutio.

Philomathes.

Recte mones, vir omnium piissime.
Linquamus omnem hunc apparatum splendidum,
Linquamus omnem luctum inanem et lacrimas
Moresque nostros corrigamus pristinos.
Si multo amoeniora vitae munia
Post hanc calamitatem morantur in fide,
Spe et caritate mortuos, quid residuum est
Nisi ut hunc diem cum patre agamus mortuo
Laetissimum? Non in cibis et poculis
Gravioribus, natura quam poposcerit,
Nec tympanis et organis, sed maximas
[E 3 a] Deo exhibendo gratias. Viro pio
Congaudeamus intimis affectibus
Et absque pompa inutili exsequias pias
Patri paremus mortuo!

Grex.

Optime mones.
Congratulemur mortuo et domino Deo
Dignas agamus gratias!

Hieronymus.

Sic expedit.

Philocrates.

Assentior. Procede, Daetre, ex aedibus
Tantisper huc, dum, quod volo, ex te sciscitar!
Procedat atque Oeconomus huc!

Oeconomus.

Oeconomus hic.

Daetrus.

Et Daetrus hic. Iam sciscitare, quod velis,
Breviter, quod haud abesse licet opsoniis!

Philocrates.

Quid? Adhucne plene cocta sunt opsonia?

Daetrus.

Iam cocta sunt verubusque detrahenda sunt.
Iube ingredi cito, quos velis accumbere!

Philocrates.

Iubebo. Abi, fac singula expedita sint!

Daetrus.

Curabitur.

Philocrates.

Tu, Oeconome, paululum foris
Morabere, ut dicas vale spectantibus!

Oeconomus.

Curabitur.

Philocrates.

Cognati et alii amiculi,
Quos mane pater ad vesperum convivium
Vocaverat, nobiscum ad ipsum ingredimini,
Ut, quod gulae paratum erat, sumamus hoc
Frugaliter non absque honesto gaudio!

Grex.

Sequimur; praei!

Oeconomus.

Vos, qui advolastis impigri ad
Nostra haec theatra, tum viri tum feminae,
Adite nunc vestras domos sine remora!
Nam Hecastus hic, quem morte caesum exhibuimus,

Non ante tertium diem tumulandus est.
Valete cuncti et, si placuimus, plaudite!

Finis.

[E4b: Bild des Saturn wie auf dem Titelblatte, nur in grösserem Masstabe: TEMPVS.]

Verbesserte Druckfehler.

V. 228 graviter — 238 ut (videam fehlt) — 307 vesperi — 308 distruta — 313 Muliercula — 315 admonendum — 369 holosericisque — 466 Philomathea — 486 negligendus est nemini — 594 daemonis — 871 suave — 1050 profectus — 1180 ex] fehlt — 1382 unum — 1431 Scena VI — 1473 Scena VII — 1573 potissim.

Anmerkungen.

S. 64, Z. 7 ὡς τὸν ἐπὶ φακῇ μῦϑον. So las man früher in dem verderbten Text des Gellius, Noctes Atticae 13, 29, 5, während der wider Euripides gerichtete Spottvers des attischen Komödiendichters Strattis vielmehr lautete: ὅταν φακῆν ἕψητε, μὴ 'πιχεῖν μύρον. Dies hatte schon Erasmus (Adagiorum opus, Basileae 1533 p. 238. I, 3, 23: Lenti unguentum infundere) richtig dargelegt. Vgl. Paroemiographi Graeci ed. Leutsch et Schneidewin 2, 573 und 775 (1851), sowie Comicorum Atticorum fragmenta ed. Kock 1, 724 (1880).

V. 243 Βοῦς Λοκρικός, Bezeichnung einer geringen Gabe, weil die Lokrer einst statt eines Ochsen ein kleines Holzbild eines solchen opferten. Paroemiographi Graeci 1, 116. 273. 2, 186. 508.

V. 615 vgl. Daniel 5, 25: Mane, thecel, phares.

V. 620 vgl. Jesaia 38, 1: Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives.

Zusätze und Abweichungen der Utrechter Ausgabe 1552.

Titel: dummodo . . . habebit] subitaria morte praeoccupatus. Hinter der Widmung an G. Montanus v. J. 1539 folgt:

[b 2 a] **Ad candidum lectorem in Hecastum praefatio.**

Cum, ni fallor, ante annos abhinc decem Hecastum nostrum edidissem et paulo post praelo mandassem, fuere multi, quibus fabulae scopo recte considerato per omnia placuit, fuere, quibus in ea nonnulla offenderunt, fuere quoque, quibus omnino displicuit ob hoc praecipue, quod erroribus quibusdam nostri temporis connivere et suffragari videretur. Inprimis illi, quod citra paenitentiae opera (satisfactionem dicimus) et ecclesiae sacramenta, per solam in Christum fidem et cordis contritionem, condonationem criminum docere vel asserere videretur et quod quisque certo se fore servandum credere teneretur. Id quod nequaquam nec mente concepi nec unquam docere volui, licet quibusdam fortassis fabulae scopum non exacte considerantibus prima (quod aiunt) fronte sic videri potuerit. Si enim rei scopum, quem in argumento indicabam, penitus observassent, secus fortassis iudicaturi fuissent.

Volui siquidem praeci- [b 2 b] pue in fabula ostendere, quo pacto post scelera postque flagitia subitanea morte occupatus seu praeventus quispiam, cum ad extrema pervenerit nec canonicae paenitentiae locus vel tempus reliquum sit, ne pusillanimitate et desperatione fractus pereat, tractandus sit. Cuiusmodi homini (pro mea quidem sententia) cum iamiam moriturus sit, non carnis afflictio, non alia paenitentiae opera, sed μετάνοια seu detestatio peccati et plena fiducia iam fide in Christum pro nobis mortuum proponenda et inculcanda sunt. Profecto longe aliter hominem quemlibet sanum et extra mortis imminentis periculum, si res postularet, post sceleratam vitam quantumvis resipiscentem et dolentem tractaturus essem, quod ad absolutam peccatoris conversionem et reconciliationem non tantum cordis contritio vel peccatorum detestatio, verum etiam sacramentalis confessio, sacerdotis absolutio, gemitus, luctus, ieiunium, carnis maceratio, eleemosynae et id genus alia tum paenitentiae tum pietatis opera proximo exhibenda requirantur.

Oro praeterea pium lectorem, ne in quibusdam fabulae locis suspicionem fortassis aliquam moturis existimet me velle affirmare vel senire, quod hominem quemlibet Christianum necessario credere oporteat

in numero salvandorum [b 3 a] se esse aut de sua salute certum esse, cum multae scripturae nos doceant nihil tutius esse quam sub spe semper timere. Nihilominus si certus erat Paulus, quod neque mors neque vita neque creatura aliqua se cum aliis piis et fidelibus separare posset a caritate Dei patris, quae est in Christo Iesu domino nostro, ut colligit ex praecedentibus ad Romanos cap. 8 et manifestius eodem capite: 'Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei' cum ceteris, quae prosequitur; si divus Petrus [I, 1, 8] certa promissione credentes dicit gravisuros laetitia inenarrabili etc.; si Ioannes in evangelio [c. 5, 24] dicit: 'Qui verbum meum audit et credit ei, qui me misit, habet vitam aeternam et in iudicium non venit, sed transiit de morte in vitam' et manifestius in Epistola [II, 3, 2]: 'Carissimi nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus; scimus autem' etc.; si (inquam) hi suo tempore adhuc in carne viventes de sua et aliorum salute certi fuerunt, absurdum erit, si etiam hac nostra tempestate pie credamus subinde nonnullos per divinam revelationem seu spiritus testimonio certo cognoscere se filios Dei esse et hinc migrare securos?

Quis praeterea, si historiis credimus, innumeros martyrum et confessorum greges de salute sua certos et securos dubitet exspirasse? bsnnon secura mens Stephano, [b 3 b] qui vidit caelos apertos? Annon eceura mens Antonio, qui mortem laetus aspexit? Annon secura mens Amabrosio et Martino, quorum alter interrogatus se mortem non timer dicebat, quod bonum dominum haberet, et alter iamiam moriturus stanti sibi humani generis hosti dicebat: 'Quid hic astas, cruentae Asttia? Nihil in me funeste reperies; Abrahae me sinus recipiet.' Taceo de multis aliis, de quorum tum in vita tum in morte securitate prolixum esset recensere historias.

Cum igitur non abbreviata sit manus Domini, sed adhuc suis caelestis gratiae et consolationis munera impertiatur, quoniam merito alienum a religione Christiana iudicabitur, si dicatur adhuc nostri temporis quispiam (qualem Hecastum finximus) subinde inveniri, qui divino spiritu suae conscientiae reddente testimonium spem sibi certam suae salutis promittat?

Haec prolixius quam destinaram, optime lector, prosecutus sum, ut de Hecasto mentem meam cognoscas et, si qua inter legendum non trivialiter dicta occurrant, pie et candide interpreteris.

Traiecti anno 50.

Prologus in Hecastum. Hinter V. 9 folgt eine Einschaltung von 64 Versen:

Videbitis nihilominus, quemadmodum,
Cum paenitentiae operibus seu fructibus
Essent negata nece imminente tempora,
Post criminum confessionem praeviam,
Post lacrimas cordisque paenitudinem
Non aliter ac pius latro in cruce pensilis

Per unicam in Christum fidem Deo patri
Gravissime offenso rediit in gratiam
Et ab angelis de paenitente ovantibus
Subvectus est ad sempiterna gaudia.
Sciat tamen spectator omnis candidus,
Multo quod aliter hunc vel alium quemlibet
Sano et vigenti corpore in proscaenium
Produceret, flagitia post enormia
Manifesta seu latentia, auctor fabulae
Quam morte praeventum hunc virum subitaria,
Quod ad absolutam paenitentiam sciat
Plura requiri quam fidem ipsam catholicam,
Confessionem et absolutionem eam,
Virtute quae fit clavium Petro datarum
Ecclesiaeque per ministros publicos.
Cuiusmodi est eleemosyna, ieiunium,
Orationes lacrimaeque et id genus
Alia pia opera, tum in Deum, tum in proximum.
Verum sibi persuasit hunc vel quemlibet
Morte subita praeoccupatum sic fore
Tractandum et exhortandum et hoc solacio
Fidei levandum, ne (quod absit), dum nimis
Exaggeretur, quam meretur pro suis
Excessibus, correctio, moriens sibi
Male conscius satisque facere non valens
Spe destituta animum miser despondeat
Barathrumque desperationis incidat.
Certe humilium contrita corda neutiquam
Spernit Deus, sero licet resipuerint.
Quae vera, nunquam sera paenitentia est.
  Neque singularem (ut nuncupant) fidem in Deum,
Verum catholicam et universalem probat
Ab apostolis et orthodoxis proditam,
Qua non modo esse Deum et creasse haec omnia
Et in unitate trinitatem credimus,
Christum natum, passum et in cruce mortuum
Dieque tertia excitatum a mortuis,
Sed et in Deum qua credimus et in filium,
Quem perditis nobis necandum tradidit,
Toti fide atque amore in ipsum tendimus
Ipsique nos nostram et salutem maxime
Totaque cum fiducia committimus.
  Nec voluit auctor quemlibet debere se
Certo beandum credere, quod tutius
Nihil sit ac spei timorem adiungere.

Veruntamen quis dubitet innumeros adhuc
Posse emori tutos sineque periculo,
Ut martyrum Christum confitentium
Quondam greges, quorumque menti Spiritus
Testatus est, Dei quod essent filii?
Haec me volebat proloqui Macropedius,
Ne qui favere eum putent erroribus,
Ecclesiae quod ab unitate catholicae
Et ab orthodoxis discrepare anathema sit.'
Praeterea et hoc paucis monebo, si cui
In aliquibus minus pudice visa sit
Vel adultera introducta vel meretricula,
Nihil est in hac, quod oclos pudicos laeserit.

10 pudicos] honestos — 13 pios] probos — 14 fehlt — 15 absque turbidis clamoribus — 16 bis 18 fehlen — Auf 20 folgt das 1. Chorlied

Chorus

versu Sapphico [= Rebelles, Chor V. 1897 p. XXXIX.]

Foede peccator, resipisce tandem,
Iudicis mulctas citus anteverte,
Hora ne tradat cita mortis orco
Te cruciandum!
Quid tibi gazam, moriture, condis?
Quid voluptates, moriture, anhelas?
Quid vel affectas, moriture, honores
Interituros?
Dum viges sanis vegetisque membris
Et frui dulce est scelere exsecrando,
Macera carnem, peritura sperne

Et resipisce,
Sera ne non sit metanoea vera,
Nempe procedens barathri pavore
Prorsus aut nulla, hanc merito negante
Iudice iusto!

*

I, 1. 28 particaeque — 42 blacterant —
I, 2. 102 invisimus] ingredimur —
I, 3. 142 Ut nec vel ipsa —
I, 4. 171 sese] fehlt — 192 bis 195 mit Melodie [= Chor III. Rebelles, Chor III. 1897 p. XXXIX. Aluta, Chor IV. Asotus, Chor III).

Nihil, sodales, tandem erit

Caro nostra quam exstinctus cinis,

Et mollis instar aëris

Sese resolvet spiritus.

II, 2. 260 frūdibus —
II, 4. 313 Muliercla —
II, 5. 356 quid iubes
II, 6. 416 tibi] tua — 417 Senses saluti commodum —
II, 7. 429 et si ignobilis —
II, 9. 602 quod — 615 מנחדקלמכן — 620 עילפדקך — 621 בזקחאחחרלארגיח
II, 10. 656 bis 659 mit Melodie [wie Chor II]:

O mors, quam amara est memoria

Tui viro sano, cui

Tranquilla rerum est copia

Libet que adhuc epularier!

662 copore —

III, 3. 743 domis — Hinter 752 folgt:

Tametsi ad Indos me vel ultra duxeris.
Per saxa et ignes perque solitudines,
Per maria ab Herculis columnis extimis
Cimmerium adusque Bosporum et Maeotidem
Tibi comes ero individuus et te protegam.

— 767 severem — 817 Amodo] Posthac — 849 Qua nihil — 858 adnuimus — 933 profisiciscier — 937 serni — 959 bis 962 mit Melodie [wie Chor V]:

Defluentis instar undae

Universi cum dolore

Procreati et educati

Morte ad ima labimur.

IV, 1. 980 Proficiscimur — 1088 dum]cum — 1128 bis 1131 mit Melodie [wie Chor IV]:

Morte iustus si occupetur,

Neutiquam tristabitur,

Mente sed feret ipsam alacri,

Quod refrigerabitur.

V, 1. 1171 obrogatis — 1195 Cum — 1263 Tandem absoluta etiam sacerdotis manu | Absolvendus es, mi Hecaste, muniendus es — 1309 Foedissimisque haec fecerit. **Hie.** Iam ades, Fides — 1321 creduas — 1336 feangat haec te res, siquidem in Deum fide — 1340 fide in Deum atque misericordiae — 1353 remiserit] servaverit — **V, 4.** auf 1356 folgt: Quod nil queas iam nisi dolere et credere — 1391 collaca — 1407 Respice me pater — auf 1412 folgt:

Tu scis, pater, quam tibi libens rependerem
Milia talentorum decem, quae debeo,
Modo revalescam humanaque fragilitas sinat.
Fido tamen, quod per necem Christi tui
Mihi remittes universum debitum. —

1413 fidem absolvendus es — auf 1430 folgt:

Fides. Adsumus et a Satane te tuebimur.

V, 6. 1546 arbitratur, sed iustum existimat | Fidens Dei verbo, quod is beatus est, | Cui, quae patravit, scelera non Deus imputat — auf 1599 folgt:

SCAENA INTERIECTITIA

Versu trimetro.

Philomathes. Acolitus.

Philomathes. Praei, sequar. Heus puer, cum te sciam
Bonae indolis, quin linquis hunc Hieronymum,
Bardum rudemque sacrificum? Quin applicas

Te litteris humanioribus ac iis
Horariis preculis chorique ineptiis
Sive λιτανείαις rancidis, quas audio
Cum sacrifico te murmurare sedulo?
Acolitus. Non te puto, domine medice, ex animi tui
Istaec loqui sententia.
Philomathes. Pol maxime.
Acolitus. Sine ergo singulatim ad ea respondeam!
Philomathes. Respondeas, per me licet.
Acolitus. Primum omnium
Pium volebas ut sacrificum, quod rudis
Foret atque bardus, linquerem; sed ei magis
Ego obsequendum censeo, qui me sua
Pietate vitia fugere, Christo fidere et
Deum timere verbo et exemplo docet,
Ac litteratoribus iis scholaribus
De me licet bene meritis, qui gnaviter
Mihi tradidere grammatica, dialectica et
Rhetorica, ceterum nihil.
Philomathes. Sed illa, quae
Tibi sacrificus nunc suggerit, per Herculem
Ad opes, voluptatem atque gloriam nihil
Conduxerint.
Acolitus. Verum ad salutem plurimum.
Nihilominus, quem tu rudem ac bardum vocas,
Latum (quod aiunt) culmulum haud tibi cesserit,
Modo auferas tuos Ioves ter maximos,
Apollines et Hercules ac id genus
Tua verba sesquipedalia, ampullas tuas,
Phaleras tuas, fucos tuos, quae puritas
Orationis propriae non exigit.
Quantum licuit et res poposcit, litteris
Operam dedi politioribus, sed ut
Vidi, quod ad veram salutem neutiquam
Sine pietate erga Deum conduceretur,
Vale dixi eis, quod inane sit stultumque sit
Iis consenescere et immori.
Philomathes. Loqueris probe
Mentique consentanea et consentiam,
Nisi antiphonae, hymni precesque ceterae
Tam insulsa sint et barbara, ut mihi nauseam
Cantata pariant atque doctis sordeant.
Acolitus. Et ego quidem nonnulla cupiam salsius,
Latinius concinniusque prodita,
Verum sub iis (ut tibi videntur) sordibus
Ego simplicem pietatem honoro, veneror atque

Exosculor, quam nec soloecus nec aliqua in-
Concinnitas nec barbarismus sordidat,
Quam et ipsa honestat lingua mihi vernacula.
Philomathes. Nisi mors patri nunc imminens sensus meos
Modo distrahat, quam in rebus his caecutias
Ostenderem! Hui, quam video larvam huc eminus
Vibrantem acutum spiculum!
Acolitus. Quam? Haec atra Mors.
Philomathes. Atat!
Acolitus. Anne medicum litteratum terreat
Mors?
Philomathes. Maxime; moritur enim doctissimus
Perinde ut indoctissimus.
Acolitus. Consultius-
Ne sit igitur studere pietati unicae,
Qua mortem in aevum non timebo, quam tuis
Humanitatis universis litteris,
Quae neutiquam te horrore mortis liberant?
Sic fugis?
Philomathes. Atat.

*

V, 8. 1615 Violentia — 1625 Dum] Cum — 1627 fuit] fehlt — 1700 Credo] Fido — auf 1754 folgt:

SCAENA INTERIECTITIA XII.

Trimetri.

Ancillae duae. Famuli duo. Epicuria.

Ancilla I. Hera, ingredere, defectio ne spiratus
Te turbet et turbetur omnis familia
Neu cum marito et te fleamus mortuam!
Epicuria. Heu!
Ancilla I. Heus famuli, heram reducite a cadavere,
Dolore ne deficiat aut lapsam solo
Contingat ocius emori et fiat dolor
Posterior hic nobis priore dirior!
Sustollite!
Famuli. Hem.
Ancilla II. Nos lugeamus mortuum!
Heus socia, Hecastum lugeamus!
Ancilla I. Sic decet.
Plangamus atque maesta palmis pectora,
Quod hera labescat et languore concidat
Et amabat hic, dum viveret, nos plurimum.
Quid, Hecaste mi! Mi Hecaste, quid!
Heu heu dolor!
Ancilla II. Pro pro dolor!
Ancilla I. Quid est, amice, quod relictis omnibus

Caris tibi toto iaces sic corpore
Prostratus? An futurus esca vermibus?
Egone queam inducier, ut istuc creduam?
Qui creduam? Tute hoc sinas? Num tu sines
Hoc delicatum, amabile et pulcherrimum
Corpus tuum corrumpier, putrescere
Terebrarierque vermibus? Sed pro dolor,
Dum a capite ad imas usque plantas lumina
Mea flecto, nil prae se ferunt membra omnia
Nisi mortis horrendae abominandam imaginem.
Heu dulciculi oculi, rosea labra, rubentes genae,
Ut subito in horrorem nigrum transistis et mutamini!
Heu pectus ante eburneum, nunc luridum,
Heu venter ante turgidus, nunc flaccidus,
Heu tibiae ante candidae, nunc lividae,
Heu cuncta quondam vegeta, nunc prae se ferunt
Mortis pavendae imaginem! Heu, dum intus nihil
Animi viget, pro stupida sunt haec artua
Putrique tabo proxima. Heu dolor, dolor!
Heus socia, Hecastum lugeamus mortuum et
Plangamus ultra maesta palmis pectora!
Ancilla II. Decet, heu dolor!
Ancilla I. Pro pro dolor!
Ancilla II. Pro pro dolor!
Ancilla I. Pro pro dolor!
Ancilla II. Pro pro dolor!
Ancilla I. Quid, Hecaste, te
Quaeso impulit mortem aggredi subitaneam?
Annon adhuc tibi flos iuventae blandus et
Vernans erat roburque corporis integrum?
Non pulchra coniunx, non suaves liberi,
Non fidi amici proximique sanguine?
Annon abundabant tibi cuncta affatim
Opes, voluptas atque mundi gloria?
Qui ergo in has te mortis aerumnas graveis,
Hecaste, praecipitasti, in aevum neutiquam
Rediturum, ad haec cibum futurum vermibus?
Respirat uxor seque cruciat denuo,
Cum familiaque flent amici et proximi.
Solus sacerdos absque fletu taetricus.
Heus socia, Hecastum lugeamus mortuum!

*

V, 12. 1758 inquo — Hinter 1791 folgt:
Sed lacrimae, confessio, ieiunia —
1792 Sed] Et — Hinter 1794 folgt:
Linquamus cuncta in usum pauperum.

III. Thomas Naogeorgus,

Mercator (1540).

TRAGOE
DIA ALIA NOVA MERCATOR
SEV IVDICIVM, IN QVA IN CON
ſpectum ponuntur Apostolica et Papiſtica doctrina, quantum utraque in conſcientiae certamine ualeat et efficiat, et quis utriusque futurus ſit exitus.
THOMA NAOGEORGO
Straubingenſi autore.
Ad Mercatorem quendam.

Ringeris et mordes, iſthaec quod Tragoedia
Fert Mercatoris nomen, atque clamitas,
Quaſi te cunctosque Mercatores vellicem:
At falleris. Neque enim te vel ſimiles tui
Carpo, quum veſtrae rationes atque ſtudia
Lateant, et prorſus quales ſitis neſciam.
At meus hic certe Mercator talis fuit,
Vt ſcripſi. Nam tam bene novi quam qui optime.
Quare non eſt, quod te laeſum eſſe cenſeas.

ANNO XL.

[A 2 a] Illustrissimo Principi ac Domino D. Henrico, Duci Saxoniae, Landgravio Thuringiae, Marchioni Misniae, Domino suo clementissimo S.D.

Quantum religioni Christianae, Princeps illustrissime, per Papatus tyrannidem et doctrinas impias tenebrarum, pestis superstitionumque invectum sit, intellegit iam prope universus orbis. Clarius autem perspiciant necessum est, qui Evangelii sincera ac sana doctrina instituti divinae veritatis atque mentis se gaudent habere notitiam, quam Papatus aliquot huc usque

saeculis neque ipse solum non cognovit, sed omnes etiam homines ab ea abduxit quam longissime, unde et quam pravissimas et impiissimas de Deo rebusque divinis ad suum ipsorum interitum concepere opiniones. Non aliter proinde illi Papatum intus et extra norunt, quam qui ex ipsis inferis et mortis terroribus tenebrarumque invo- [A 2 b] lucris erepti recte inter tenebras et lucem, mortem et vitam norunt discernere. Porro istaec Papatus cognitio, quia ad salutem pertinet, nimirum ut Christiani errores et mala dogmata cavere et sacram doctrinam amplecti sciant, per complures hac tempestate manifestata et ostensa est, ut non ipsi solum recte saperent, sed etiam omnes alios, quoad eius fieri posset, a perniciosis dogmatis vindicarent. In quo quidem negotio D. Martinus Lutherus, sincerus sacrarum litterarum interpres, longe princeps et antesignanus fuit, quem postea in hoc ipso imitati sunt multi boni viri. Neque id iniuria. Viderunt enim Papatus tyrannidem profligare et Evangelii lumen cunctis patefacere opus non solum utilissimum, sed et pernecessarium esse. Siquidem summo conatu Papatus laborat tyrannidem conservare omnesque suo iugo subicere et Evangelii doctrinam haereseos titulo toti orbi invisam reddere et exstirpare. Proinde si qui Christianae libertatis veritatisque sunt studiosi, contra salutis causa id agant necessum est, quo perspicuum fiat omnibus et singulis, quantum insaniant, quicumque aut Papatum sectantur aut illum praefracte conantur defendere, quorum adhuc ubique magna copia est.

Quapropter et [A 3 a] ego pro mei ingenii tenuitate in hoc theatrum ad Papatus tyrannidem et perniciosa dogmata qualicumque modo depingenda et omnium oculis subicienda hortatu et iussu bonorum doctorumque virorum processi composuique hanc alteram Tragoediam (vel si quis mavult appellare Tragicocomoediam), in qua omnes et praesertim tenera aetas diversarum doctrinarum, Papatus nempe et Evangelii, diversos fines animadverteret. Nescio enim, quo pacto puerilis aetas a contionibus et severis institutis abhorrere videtur, faciliusque ludicris rebus quam seriosis ducitur, quod quidem an natura contingat vel accidente quodam externo nihil hic attinet disputare. At plurimum certe refert a teneris

recte institui sanisque informari opinionibus, quocumque id tandem fieri possit modo. Quippe si qua mundi melioris spes est, eam iuventus probe instituta deinceps exhibeat necessum est. Nos ipsi documento sumus, quam difficulter et tarde a saliva semel concepta atque opinionibus in tenera aetate apprehensis iam aetate provecti homines abduci queant. Quae quidem abductionis tarditas ut in bonis laudanda, ita in malis reprehendenda et perniciosa est.

Non nihil igitur meo iudicio boni facere videntur illi, vel qui, cum [A 3 b] iuventuti praesunt, rectissima tradunt vel qui utrosque strenue ad recta capessenda exhortantur ansamque ad id quam commodissimam praebent. In quo quidem genere nos esse voluimus, quod an simus assecuti, aliorum esto iudicium. Scopus hic certe noster fuit et in priore et in hac tragoedia, ut iuventus Papatus doctrinam et tyrannidem quoquo modo animadverteret rectisque et firmissimis secundum scripturas adductis cognitionibus de peccatorum remissione et evangelii summa, de terroribus mortis pro male acta vita, de certitudine vitae aeternae, quam nemo sanus non quaerit, imbueretur, et id per lusum quidem.

Finxi enim in hac quendam moriturum, variis et multis inquinatum sceleribus, mundo mundique studiis deditum, qui cum in extremis peccatorum admoneretur a Conscientia verisque mortis aeternae agitaretur terroribus, cupidissime salutis viam et peccatorum remissionem quaesivit. At parochus quidam accersitus Papatus illum dogmatis instituit, nimirum, ut in opera et merita collocaret fiduciam, oblitus interim mortis et beneficii Iesu Christi, quod nos sola misericordia a deo patre in gratiam acceptamur, consentientibus apostolis et prophetis. Ea fiducia Mercator (ita enim ap-[A 4 a]pellari placuit moriturum) intumuit, se nactum videlicet putans, quo coram Deo possit gloriari et quod iudicio iraeque Dei opponat, quo modo sane multi homines sunt animati. Quia vero impossibile est, ut peccatis agnitis et animo peccatorum et irae Dei prae formidine inquieto operum meritorumque fiducia consistat, cumque nobis plurium malorum quam bonorum simus conscii, tum etiam, quod diabolus mirus et efficax artifex est ad refellenda et evertenda opera et iustitiam nostram, conscientiam Merca-

toris finxi incommodam et molestam semperque reluctantem operum fiduciae, ita ut Mercatoris animus illi doctrinae acquiescere non potuerit nec pacari. Luctabatur simul et operum tumida fiducia peccatorumque immensa gravitate, donec peccata (quod fit) effecere, ut iam iam oblita illa fiducia vitam et salutem plane esset desperaturus, ni e supernis iussus esset sperare. Inde ab illa operum fiducia purgatus certaque evangelii doctrina institutus est, cui institutioni et conscientia et peccata extemplo cessere, exque ea in firmissimam salutis spem pervenit. Nemo autem non novit, opinor, istoc verbum evangelii et cognitam in Christo Iesu solam gratiam, quae fide apprehenditur, efficere solere. Ad iudi- [A 4 b] cium igitur illa spe fretus accedit.

Porro, quo clarius innotesceret, quid inter Papatus et Evangelii doctrinam intersit, quantumque utraque in Dei iudicio valitura sit, ex adverso finxi alios tres Papatus sectatores una cum Mercatore iudicium accedere. Ubi quid sit iudicatum, et qui diversae fuerint fiduciae fines, ex quinti actus contextu legenti patebit. Istoc figmentum, princep illustrissime, quia ad vitae probitatem et dei metum atque ad sinceram evangelii doctrinam capessendam hortatur, existimavi neque iniucundum neque inutile iuventuti fore.

Atque hercle idem confido visum iri, quicumque candidioris animi de illo iudicaturi sunt. Sycophantas et evangelii hostes nihil moror, qui, sicuti in priore ita etiam in hac ostendent, quam egregii sint in aliorum operibus reprehendendis artifices, cum interim ipsi neque privatim neque publice quidquam in communem utilitatem adferant. Eiusmodi hominum iudicia me nihil movent, neque boni viri est, propter quorundam improbitatem a communibus commodis promovendis absterreri. Si quis omnino aut odio aut animi pravitate adductus aliorum labores vult lacerare, sciat palmam in medio omnibus esse positam, quare procedat in theatrum, edat meliora, ct nos interim tacebimus.

Ego neque in-[A 5 a]genii ostentatione, quod mediocre est, neque cuiusquam odio aut traductione, nisi fortasse evangelii hostium, tragoedias adversus Papatum scribere orsus sum, sed cum viderem eruditissimis et scriptis et contionibus in negotio

evangelico adultis bene ac satis consultum esse, puerilem tamen aetatem illis ipsis non delectari, non inutile fore ratus sum, Papatum a contionibus in theatrum produci. Quanquam ego id fortasse non ea felicitate et eloquentia facere potuerim, qua oportuit et qua alii facere possent, mihi tamen et in hoc veniam dabunt candidi lectores, tanquam τῷ πρωτοπείρῳ. Mihi satis est interim ceteris doctioribus et eloquentioribus vel occasionem dedisse, ut debito apparatu ad hoc negotium accedant.

Tuae autem clementiae, Princeps illustrissime, hunc meum laborem nominatim dicare et tuis veluti auspiciis in publicum dare constitui, cum, ut meam erga te observantiam declararem primusque pro adepta hereditate paterna munusculo quodam litterario tibi gratularer, tum etiam, ut in amplificanda Iesu Christi gloria Papatusque tyrannide in dicionibus tuis exstirpanda, ut hactenus feliciter orsus es, ita porro quoque pergeres, quo nec acceptius deo quicquam neque tuis subditis utilini facere potes, te adhor- [A 5 b] tarer. Quanquam sane mea adhortatione tibi nihil sit opus, cum res ipsa per se id abs te flagitet deique spiritus e supernis hunc animum iam olim tibi dederit eumque aucturus est procul dubio in dies magis. Tantum igitur peto, ut meum hunc laborem boni consulas dignerisque pro tua in omnes clementia et me et hoc scriptum in praesidium tuum suscipere meque habere commendatum.

Vale! Ex Sultza d. 26. Maii Anno 1539.

Thomas Naogeorgus.

[A 6 a]

Prologus.

Si nova (quod aiunt) est cantio gratissima,
Huc avidum, spectatores, animum advortite!
Novam adportamus et hanc vobis tragoediam,
Cuius nobis ansam etiam papatus dedit.
Si placet igitur, argumentum vobis modo
Exponam paucis: Iussu Christi iudicis
Homines ad iudicium citavit quattuor
Lyochares, nuntium quem mortis finximus.
Inter eos vero et Mercator citatus est,
Quem sic proprio placet appellari nomine.
Is excitatione insperata anxius

A parocho doctrina imbuitur papistica,
Ut a peccatis liber in caelum volet.
At doctrinae illi contradicit (nescio
Quo fato) Mercatoris conscientia.
Peccata semper, semper et iram praedicat,
Unde ille in cordis detruditur angustiam.
Praesertim tamen ut Satanae vidit codicem et
Peccata sua in illo exacte scripta omnia et
Adversus Satanam omnem ludi parochi operam,
Paulum aberat, quin suum desponderet animum.
Verum e supernis est afflatus numine,
Simulque missi Paulus Cosmasque medicus
[A 6 b] A papatus illum repurgant dogmatis
Certamque pro peccatis rationem docent.
Quo facto ad iudicium se animo bono parat.
Interea alios tres Papae edoctos dogmatis
Ad iudicium Lyochares pellebat, quibus
Et Mercatorem iungit, sibi bene conscium,
Eo quod Christi lotus esset sanguine,
Cuius se credit servatum iri dextera.
Ast alii in se suaque habebant fiduciam
Maestisque iudicem adibant conscientiis.
Post iudicatis singulis, in inferos
Traduntur tres, at Mercator superos petit.
Tantum est. Diversarum doctrinarum exitus
Etiam diversos e scripturis tradimus.
Adeste! Non pigebit, scio, paulisper his
Animum curis vacuum advortisse ludicris.

Interlocutores.

Lyochares
Mercator
Conscientia Mercatoris
Puer
Lucrum
Satanas
Parochus
Medici
Christus
Paulus
Petrus
Cosmas
Princeps quidam
Episcopus quidam
Franciscanus quidam
Michael.

[A 7 a] ## ACTUS I. SCAENA I.

Lyochares.

Ne quis requirat, qui sim, paucis eloquar:
Lyochares vocor, atrae sum mortis nuntius,
Re fortasse hominibus notior ac nomine;
Nam semper inter illos versor, nec pedem
Alio e terris quoquam conferre licet. Ita
Perpetuis usque fatigor hic negotiis.
Quae sint, vel stultus, opinor, posset noscere.
Nolite terreri! Trux sum et saevus quidem
Verbis factisque (ita meus me voluit pater),
Non nullum tamen haberent a me commodum
Mortales, si suis non ipsi incommodis
Gauderent, haudquaquam curantes res suas
Quantumvis moniti rectius disponere.
Ad vos sane iam nil mandatorum adfero;
Quare confidite verbisque animum advortite:
Nam sunt, quae porro nos omnes scire cupiam.
Nomen tenetis iam et, ut puto, negotia.
Negatis? Dicam, si cupitis, apertius.
In mediis ego mortales obruo gaudiis,
Ingratus sane nuntius bene agentibus;
Quin nec amice compellor ab his, qui agunt male.
Nam et variis cunctos sine discrimine pestibus
Onero morbisque, si quando illis adfero,
[A 7 b] A summo quidquid est decretum iudice.
Hoc ad negotium istac utor mantica, in
Qua mortis omnes aculei sunt conditi,
Supplicia, poenae simul ignotae ac cognitae,
Morborum pestiumque diversa genera.
Vultis, specimen horum vobis ut proferam?
Scio vos nolle, neque ut faciam mandatum est mihi.
Profero solum, quibus iubeor et debeo,
Quemadmodum et hodie quibusdam protuli,
Et nulla dies mihi abit sine linea. Sed o
Deum immortalem, quam secure vivitur
In terris! Quam nulla est mortis memoria! Nec

Cuiquam iudicii supremi in mentem venit.
Si non cotidie aliquos de mundo carperem
Reges, tyrannos, pauperes et divites,
Ignobiles et nobiles et saepius
Firmatam longae vitae spem mortalium,
Amplas divitias, imperia, potentiam,
Ambitionem, voluptates, lucra dulcia et
Negotiationem inexplicabilem
Repentino incursu fortiter abrumperem,
Possent sane mortis oblivisci homines. Sed in
Tantis, quas moveo, turbis rebus in omnibus
Securum demiror illos gerere animum et
Iniquitati omne studium et operam dare
[C8a] Posse. Furantur, rapiunt, pergraecantur, dolos
Cudunt, bella gerunt, scortantur, ut illa interim
Omittam, hominis sunt quae interioris ulcera,
Malas opiniones, tenebras cordium,
Quibus sibi mortales mirum in modum placent,
Quasi vero ego nihil sim, cuius curam gerant,
Aut nulli sit ratio reddenda iudici
Nec rerum finis appropinquet omnium.
Istuc cum saepe alias tum hodie sensi magis,
Simulac ad tres hodie mandata pertuli.
Hem quam nihil erat illis insperatius
Meus quam adventus ac mandata urgentia,
Suorum ut operum reddant rationem et dein
Iudicis in crastinum exspectent sententiam! Et
Si vacat, exponam breviter vobis singula.
Primum princeps quidam conveniundus fuit:
Is vero dives obsidebat oppidum,
Dira fremens militibus tormentisque aeneis,
Si illud non ante occasum solis in suas
Redigeretur manus, addens, frustra hactenus
Se bella tot annis confecisse plurima
Et claro incassum celebratum esse nomine,
Si homines imbelles oppidumque nihili iam
Tandem suae resisterent potentiae.
Haec dicens, oculis arma capit ardentibus,

[C 8 b] Hortatur strenuos, ignavis horrida
Minatur, muros quassatos iubet aggredi,
Medio ipse cum primis miscetur agmini.
Hinc ego placide accedens: 'Heus', inquam, 'quo ruis?
Mecum tibi eundum est, ut die te crastino
Iudicio sistam'. Totus ille expalluit,
Trementique statim excidit e manibus lancea,
Quam in civium perniciem corripuerat. Et
Adhuc reluctanti illi, ut mos est fere hominum,
Prolatam mantica ex hac pestem lateribus
Inflixi. Hic vidisses medicos accurrere,
Tristari proceres et canere receptui,
Turbari milites, exsultare oppidum,
Fractosque in sibilum conatus vortier.
Ut autem inanis visa est medicorum opera et ars,
Monachus quidam accersitur ventriosus, (ad
Quem o si habuissem mandata!) qui tristem instruat,
(Nam extemplo aderat proterva Conscientia,
Multorum ac magnorum facinorum illum admonens.
Hinc illa tristitia, quod non ratio satis
Ad iudicium pro factis tot subducta erat)
Et consoletur doceatque modum, quo queat
Peccatis solvi et iustus adire iudicem.
Quae monstra eum docuerit, post videbitis.
Sic doctus rem divinam audit et absolvitur,
[B 1 a] Quantumvis reclamante Conscientia,
Operibus nullis exsolvisse debitum
Nec rationem factam accepturum iudicem.
Monachus contra duello certat vincere,
Donec commentis multis et periuriis
Comptisque nugis pressit Conscientiam.
Cuius rei gratia multa tulit munera
A principe, ut semper solent mendacia
Donis in mundo veritatem vincere.
Fortiter interea a tergo Conscientia
Fascem illi debitorum astringit omnium.
Ita quidem princeps, ut mecum eat, accingitur,
Monacho suam pro illo dante animam pignori

Nullo pacto rationem posse fallere aut
Reprobari. At res verum docebit postea.
Et ut rem in verba conferam paucissima,
Haud secus et imparatos adii alios duos,
Nempe instituti Franciscani simiam
Quandam et male ἐπισκοποῦντα quendam Episcopum,
Haud secus et isti luctabantur strenue,
Nugis ut victa tandem Conscientia
Quiesceret. Haud secus et utrique debita
Fascibus imposita sunt a Conscientiis,
Fortasse ut intellegerent, quam belle sibi
Pro debitis tot esset subducta ratio.
[B 1 b] His veni hodie nuntius haud ex sententia,
Eosque aliis intentos rebus repperi,
Quam ut suspicarentur adesse extremum diem.
Neque fere aliter animatos iam offendere licet.
Adeo nullus veretur male agere nec parat
Se iudicio quisquam aut rectam viam ingredi
Discit, probis nec se dedunt doctoribus,
Sed hauriunt pleno gutture mendacia,
Quibus pereunt, quamvis aliter existiment.
Me iussa quidem exsequi decet, haud minus tamen
Et ipse salutem desidero mortalium,
Ut, quamvis interiret corpus peste vel
Alio quovis modo, ut decreta postulant,
Tamen ad salutem servaretur spiritus.
Sed ferme effecerunt, ut nullius mihi
Gravis sit interitus et misericordia
Nulla tangar. Nam si iuxta proverbium
Piscator ictus sapit, in causa quid sit, haud
Video, cur mundi huius vel sapientissimi
Nullis ictibus aut exemplis sapere velint,
Ut cautius agant et res omnes iudici
Probari possint aut, si id fieri non queat,
Discant saltem, quinam placetur aut quibus
Ex rebus certo dimittantur debita. At
Horum nulla prorsus tanguntur cura. Ita
[B 2 a] Corpus et animam simul laborant perdere et

Pleno rapidoque cursu eunt ad tartara,
Ut et ipsa Salus, tametsi maxime velit,
Servare tamen non queat homines eiusmodi.
Et si ex citatis nonnulli tandem vel in
Extremis recte ducti possent resipiscere,
Tum sibi (malum) ductores caecos applicant,
Mendaces, palpatores, bestias malas,
Quibus ego, si liceret, cerebrum lapidibus
Libenter excuterem, peste aut fortissima
Tanquam e supernis fulmine tactos perderem.
Quid enim illi aliud faciunt, quam reddunt perditos
Perditiores et implicatos implicant
Magis atque magis lippisque oculos plane eruunt?
Odio habeor ego propterea a mortalibus
Quod me veniente solvitur omne gaudium,
Nam sunt linquenda, quae hic habent carissima,
Corpusque omnigenis perdo calamitatibus,
Morti ut concedat dedaturque vermibus.
Qui fit, ut illi impostores non simili modo
Sint omnibus odio? An qui animam perdit, minus
Delinquit, quam qui corpus peste percutit?
Aut qui perpetuum aufert, minus putabitur
Laedere, quam qui aufert temporale quidpiam?
Cum illi praestigiatores ex industria
[I; 2b] Animabus insidientur et, quod maius est,
Nullius iussu (ut ego) et corpus tandem et animam
Ad aeterna ultro promoveant incendia,
Foventur sedulo, pascuntur pinguibus,
Amice compellantur et ex summis lucrum
Iniuriis damnisque reportant maximum.
Quis non hic vel Mosaicae mansuetudinis
Indignitate rerum motus clamitet?
O stolidos iuxta ac miseros homines! Quam diu
Vestro serpentes in sinu fovebitis?
Quousque tandem credetis mendaciis?
Quam diu animarum carnifices amabitis?
Sed omnis clamor frustra est. Decipi volunt
Ipsosque deceptores ultro provocant.

At vos tamen prudentiores fore puto.
In eiusmodi rebus ego versor perpetim,
Asto et deceptis atque deceptoribus
Haud cum indignatione mentis parvula,
Quapropter mihi res istae sunt notissimae.
Si vobis nondum sunt, faxo tamen, ut sient.
Nam adhuc restat citandus Mercator mihi,
Qui in hisce aedibus habitat. Hic haud aliter erit
(Ut nunc quidem sunt hominum mores omnium)
Animatus nec melius sapiet quam ceteri.
Nisi forte aliam mentem illi caelestis pater
[B 3 a] Dederit, quod sane non contingit plurimis.
Sed quid moror adire et pulsare ianuam?

ACTUS I. SCAENA II.

Conscientia. Lyochares.

Conscientia.

Vae miserae mihi, ut omne meum ius pervertitur!
Ut indigne opprimor, et a familiaribus!
Ut nemo in hac me vult familia respicere!
O ius et aequitus et sancti iudices,
Ecquis vestrum suppetias mihi ferre poterit?

Lyochares.

O mortis terror, quaenam istaec est femina,
Quae pro foribus plorat? Quod ad aspectum attinet,
Audax quaedam videtur et mire impudens.
Sed alloquar et percontabor, quid sibi velit.
Mulier, quid ploras? Quid tibi hic negotii est?

Conscientia.

Quid ego non plorem aut vociferer miserrima?
Heu quam aequitate est violentior iniquitas!
Lucrum, heu Lucrum, quam me festinas perdere!

Lyochares.

Quid tibi velis, mulier, nondum etiam intellego.
Dic, si potes, brevibus, quae sis et quid tibi
Molestum sit! Concede huc paulum a ianua!

Conscientia.

Ego sum huius Mercatoris conscientia,
Qui in hisce aedibus habitat.

Lyochares.

Quid, conscientia?

[B 3 b] **Conscientia.**

Ita inquam.

Lyochares.

Quid tu ergo hic foris es et non domi?

Conscientia.

Dicam. Ego cum hoc Mercatore a teneris (quod ferunt)
Unguiculis crevi et una habita sum ex familia hac,
Simul semper procurans res domesticas
Sancte et iuste summisque meis pro viribus.
Atque utinam ille meis paruisset iussibus
Neque se tot inquinasset flagitiis statim
A primis annis, mihi reluctans perpetim!
Interea venit huc quaedam meretricio
Habitu, quam appellabant Sortem, aspectu hercule
Non invenusta, blanda, lasciva nimium,
Aspicientibus arridebat amice satis.
Non tamen ultro venit, sed ab illo perfido in
Alienis quaesita fuit et erepta domibus.
Ea cum non admodum diu hac in familia
Versata esset Mercator eam amare occipit,
Donec nihil veritus adulterii scelus
Neque legem Iuliam cum illa rem clanculum
Habuit gravidamque fecit. Erat tum illud mihi
Primum grave. Nam nihil praesagibat animus
Boni. Hinc verbis illum obiurgavi plurimis.
Quod flocci faciens me contempsit rustice
Et advenam illam coepit multo impensius
[B 4 a] Observare et fovere, ne molestiae
Illi quidquam fieret a familiaribus
Usque eo, ut, quo curari posset ampliter

Et servis victum minueret et stipendia
Et cotidie quidquam ad labores adderet.
Unde illam diris devovebant saepius.

Lyochares.

Ut illa etiamnum exemplis pereat pessimis!

Conscientia.

Peperit autem non decimo, ut ceterae solent,
Sed quinto mense, abortum ut omnes crederent.

Lyochares.

Vivebatne fetus tempore tam incongruo
Editus?

Conscientia.

Haud poterat vita in illo conspici aut
Sentiri. Quare exanimatus prorsus pater
Suo correptum extemplo femori insuit,
(Quod et Iuppiter olim fecisse dicitur)
In quo illum aliis gestavit quinque mensibus,
Ita ut in iusto bis nasceretur tempore.
Iamque secundo natus (visu mirabile)
Grandis erat, audacter solus ut incederet
Nec matris unquam flagitaret ubera.
Statimque ille puer mihi molestus esse, me
Irritare et mecum certare coepit. At
Ego tum vincebam illum tamen, neque potuit,
Tametsi maxime cuperet, me opprimere. Iam
Vero ut adolevit coepitque esse carior
[B 4 b] Ipsique patri cunctisque familiaribus,
Effecit et viribus et communi omnium
Sententia, ut multata male eicerer domo,
Ne unquam suis quid advorsarer commodis.

Lyochares.

Quod erat illi puero nomen?

Conscientia.

Pater quidem

Domesticique omnes appellabant Lucrum:
Sed alii, illius ut perspecta est audacia,
Tόκον Graeco vocabant nomine, scilicet
Rebus propius inspectis aequi iudices.

Lyochares.

Male velim dispereat, seu Lucrum seu Tόκος
Vocetur.

Conscientia.

Ita ego misera multum temporis
Pro foribus asto in aestu, frigore et imbribus
Et exeuntes et intrantes obsecrans,
Ut intromittant patianturque vel infimi
Subsellii esse, si quidem prior locus
Et dignitas negaretur. Sed tauricum
Tuentes nolunt, prohibente atque ianuam
Custodiente Lucro nullam aliam (quod sciam)
Ob causam, nisi probis quod gaudeo operibus
Et semper improbis adversor sedulo,
Cum e regione Lucrum impense gaudeat improbis.

Lyochares.

Quae te ergo mala crux agitat, ut maioribus
Et fortioribus advorsere, quod solet
In proprium haud raro cedere exitium?

Conscientia.

Eho tu
[B 5 a] Suades, ut cunctis non solum tacentibus,
Sed applaudentibus etiam vel pessimis
Factis et ego taceam nec advorser? Nihil
Agis. Ante me caelesti tactam fulmine
Aut caecam surdamque velim, quam istaec perpeti.
Lucrum eiciat, Mercator ipsus opprimat,
Erit tamen aliquando tempus et locus,
Ut et Lucrum huius det poenas audaciae,
Et ego negotiatori isti perdito
In faciem stetero et omnia eius improba et
Scelerata facta in memoriam redegero.

Lyochares.

Ut impudens es! Nil alienum feceris!

Conscientia.

Nondum etiam me huius puduit impudentiae.
Pudeat mendaciorum et facinoris mali,
Non veritatis, officii et operis boni!
Sed cur ego tibi hanc denarravi fabulam?
Num, ut irriderer? Et non potius, ut inopi et
Afflictae in his suppetias ferres casibus?
Odiosum hominum genus aliorum incommoda
Casusque diligenter expiscantium,
Ridendi ut habeant materiam, non ut iuvent!

Lyochares.

Non huius sum farinae, mulier; ne putes!
Sed iam faxo, domus ut istaec tibi pateat,
Iusque tuum possis obtinere et in locum
Et dignitatem restituare pristinam.

[B 5 b] **Conscientia.**

Ah, ne me falso ducas gaudio, obsecro.

Lyochares.

Ne timeas, me vide! Sequere hac sis iam!

Conscientia.

Sequar.

ACTUS I. SCAENA III.

Mercator. Puer. Lucrum. Lyochares. Conscientia.

Mercator.

Perscripsistine iam rationes mercium,
Simul et dati et accepti, quantumque fecerim ex
Exoticis adusque mercibus lucri?

Lyochares.

Domi est. Auscultabo paulisper, quid gerat.
Nam nescio quid loquitur.

Puer.

Ne cures! Singula
Perscripsi et digessi in suos tomos.

Mercator.

Bene.
At diligenter!

Puer.

Accuravi sedulo.

Mercator.

Vide sis, ut rationes constent omnium!

Puer.

Ne dubites, inquam.

Lyochares.

Tamen ego me in rationibus
Non esse certo scio.

Mercator.

Verborum tibi quidem
Nil deest, at in rebus permultum sentio.
Si vis mercaturam discere feliciter,
Attentus, cautus, diligens, industrius
Oportet ut sis, nullus te fugiat dolus,
Versutiis tibi sit instructum pectus, et
Periuriis nihil moveare pro lucro.

[B 6 a] **Lyochares.**

Sed, scio, movebimini sescentis pestibus.
Haec arguunt satis, mulier, te nec domi
Esse neque istum tuis consiliis corrigi.

Mercator.

Inprimis istuc cogitato iugiter,
Ne pluris emas quam vendas! Hoc sit tibi scopus.
Ad hoc tua omnis referenda est industria.
Quod ut assequare, occasiones temporum
Observes, vendendi et emendi scilicet.

Lyochares.

Sed nullus observat moriendi tempora.

Mercator.

Haud secus et deteriora et prope perdita situ
Primum curato exponere! Et si quis velit
Emere recentia, tu veterrima clanculum
Obtrudito! Quin et inter ementium manus
Sollerter merces commutare discito!
Interdum etiam recentium aliquid vendito,
Donec homines illexeris, ad te ut confluant
Solum, tanquam inter plurimos iustissimum!
Sunt et alia cotidiana quaedam non secus
Accuranda. Ex mensura nec non pondere et
Frequenti temperatura aut, si apertius
Vis, curatura mercium multum lucro
Accedit.

Conscientia.

Audis, ut operam huic dent maxime,
Me abiecta et oppressa penitus?

Lyochares.

Ut audio,
Lucrum vocant, quod est iniquo proximum.

Mercator.

Comiter emptores invitandos censeo.

[B 6 b] **Lyochares.**

At te ego profecto haud invitabo comiter.

Mercator.

Duplo indices fac semper mercimonia,
Ignaris praesertim, et si quem conspexeris
Aut stupidum aut simplicem et qui appellat perperam,
Quas quaerat res; et hominum ita ignorantia
Utare, ut marsupium tibi lucro turgeat!

Lyochares.

At tu turgebis paulo post peste valida.

Mercator.

Nam ut perhibent, stultis facillime emptoribus
Quisque institor obtrudit suas res cum lucro.
Quare fac, ut homines perdiscas noscere!
Qualescunque autem fuerint homines, memineris
Semper tamen iniquum petere, ut aequum feras!
Foro etiam utere perdiligenter! Cave etiam
Te segnities capiat, sed primus omnium
In nundinis adsis, primus et exponito,
Reponito ultimus, redito domum ultimus!

Lyochares.

Vah, si tantum operae sumerent homines, boni ut
Fierent, bono hercle animo iudicium accederent.

Mercator.

Nullum ex quavis re et quamvis exiguum lucrum
Spernas aut neglegas neque unquam istuc tibi
Turpe putes! Quid enim tu facias? Si non fuit
Olim Vespasiano turpe Caesari
Ex lotio male olenti colligere pecuniam,
Neque tibi id quisquam vitio vertet. Et, ut male
Cedat maledicisque lacerere verbulis,
[B 7 a] Quam facilius ferantur verba quam inopia,
Fac cogites, quantaque sit dulcedo lucri!
Proscindi tolerabilius est quam conspui.

Puer.

Scio.

Mercator.

Quare animum caute advertas quaestui!

Puer.

Meminero.

Mercator.

Partis sequitur honos ac dignitas
Pecuniis, tuos inter ut emergere
Et supremus fieri possis ex infimo et
Contingat vita tibi vel tandem umbratica.

Puer.

Intellego.

Lyochares.

Haec sunt vestra studia, perditi.
Haec vos nequissimi senes infantibus
Fere occinitis magnaque inculcatis opera.
Nemo horrorem mortis nec iudicii metum
Pueris proponit, quo ipsis a cunabulis
In iustitiae illos duceretis semitas,
Ut omni ab iniquitate cohiberent manus.

Mercator.

Vides, quam molliter Lucrum curaverim,
Quam turgeat, quam auro argentoque splendeat,
Tu cogitato, ne quid illi detrahas,
Sed id iuxta mecum observes et diligas
Omnique industria operaque illi servias!
Quo fiet, ut te illud vicissim diligat,
Augeat et fortunis magnis et honoribus
Et publici propediem faciat principem
Consilii, quod mihi contigisse perspicis.

[B 7 b] **Puer.**

Dabo equidem operam, pater.

Mercator.

Heus tu! Tibi dico, Lucrum.

Lucrum.

Quid est?

Mercator.

Hunc mihi puerum quaeso observes probe,
Adhaereas, foveas reddasque divitem.

Lucrum.

Si me observaverit et coluerit unice,
Si caute adhaeserit et me sibi habuerit deum,
Si vigilaverit et fuerit ad iussa impiger,
Opera (ne quid dubites) pro opera pensabitur.

Lyochares.

At ego faxo, ut haec disturbentur foedera.

Mercator.

Scio te velle coli, et merito quidem hercule,
Nam per te solum homines redduntur incliti.
Quare, puer, nullos illius gratia
Labores fuge! Feres iucunda praemia.

Puer.

Praeceptorum memorem dices.

Mercator.

Cras scis mihi
Ad mercatum esse eundum Francofordiam,
Domum ut illinc decem aureorum milia
Ex societatibus feram. Quare domi
Tu interea rem bene geras!

Lyochares.

Intercludam ego
Hoc iter.

Puer.

Accurabo.

Mercator.

Interea ego neminem
Meas in aedes intromitti volo, nisi
Quis debitorum ad te numeratum venerit.

Lyochares.

Heus, heus! Ecquis ianitor hic est? Ecquis aperit?

Mercator.

At at, quis ita fores pulsat centaurice?

Lucrum.

Nullus aperiat, nullus quidquam respondeat!
[B 8 a] Nam mihi videtur esse Conscientia,
Quae semper his proterve vim foribus facit.

Conscientia.

Audis, mi homo, ut Lucrum, ne intromittar, cavet?

Lyochares.

Bono animo sis! Nisi me fallunt istae manus,
Istas tibi fores expugnatas dabo.
Hem, nullus audiet?

Mercator.

Hic profecto ianuam
Effringet, quisquis est. Quin despicis, puer,
Mox per fenestram et, quid sibi velit, rogas?

Puer.

Quis est? Quid hic tibi debetur, homo pessime,
Ut foribus vim facias?

Lyochares.

Intromitti volo.

Puer.

At nobis otium non est operam dare
Mendicis, nec domus istaec mendicos amat.

Lyochares.

An tu me mendicum arbitrare, carnifex?
Nisi aperis assulatim, has comminuam fores.

Mercator.

Notum esse oportet, qui sic minitatur malum.
Nomen roga!

Puer.

Hospes, quod est nomen tibi?

Lyochares.

Lyochares vocor.

Mercator.

Abeat in maximam malam
Crucem! Nemo mihi est istoc notus nomine.

Lyochares.

Sed aperi, inquam, actutum!

Puer.

Multum immodestus es
In conveniendis hominibus. Noli fores
Frangere! Responde primum, quid negotii
Habeas!

Lyochares.

Est mihi, quod Mercatori nuntiem.

Puer.

Adfers pecuniam? Si non adfers, abi in
Malam rem!

Lyochares.

Eam profecto vobis adfero.
[B 8b] Sed otiose tute tecum disputa,
Ego his loquar foribus.

Puer.

Parce foribus, obsecro.
Hic hercle pervicaciter oppugnat fores.
Quid, si ante aperiam, quam confringit cardines?

Mercator.

Melius est. Sed tu mihi gladium cedo et Lucrum
Aliquo abstrudas! Nam hic hercle praedatum advenit.

Puer.

Quid, si inclamem cives, ut suppetias ferant?

Mercator.

Nihil opus est tumultu. Ego illum monomachus
Latronem accipiam, ne frustra huc pervenerit.
Tu mox Lucrum!

Puer.

Heus, huc te, Lucrum, in arcam condito
Ne te violentus hic latro inventum opprimat!

Ah, tu cohibe vim, donec adimo repagula!
Quin cessas paulisper? Quid nunc? Patent fores.
Quid vis? Quid quaeris? Quid debetur hic tibi
Nisi malum?

Lyochares.

Ne mihi obsistas, puer, nisi
Mavis cerebrum comminui tibi! Iam sequere tu!

Conscientia.

Quid si ante omnia mactemus maledictum Lucrum,
Quod ad fores est?

Lyochares.

Ubi? Non est. Videbimus
De illo post.

Mercator.

Hei mihi, spasmus nervos contrahit.
Iam iam perii planissime. Occidar quasi
Pullus gallinaceus. Haud iusto tempore
Me nervi destituunt. Sed et hic, ut conspicor,
Inermis est. Bipedum scelestissime, quid est,
Quod contra leges et maiorum iura vim
Mihi facias, et id meae domi quidem?

[C 1 a] **Lyochares.**

Sic soleo. Adorior homines, ut animo collibet,
Vel ruri vel domi, ubicunque est occasio.
Nec pareo maiorum quidquam legibus.

Mercator.

Recte latronum more. Sed faxo hercule,
Ut ceteris exemplum sis latronibus,
Cum in excelsissimam te sublatum crucem
Conspexerint. Sed curre, puer, et publicos
Magistratus ministros huc ad me voca!
Quaenam haec est miseria, ut nullus domi suae et
In civitate libera tutus siet?

Lyochares.

Nihil est opus ministris publicis, puer.
Quare subsiste paulisper, donec scias,
Utrum medicos an carnifices huc advoces!
Audi, Mercator! Mortis adsum nuntius.

Mercator.

Quid? Vae misero mihi!

Lyochares.

Mortis adsum nuntius.

Mercator.

Heu totus langueo.

Lyochares.

Mortis adsum nuntius.

Mercator.

Tace, obsecro; terrores subiti me opprimunt.

Lyochares.

Tamen adsum mortis nuntius.

Mercator.

Heu, spiritus abit.

Lyochares.

Et iubeo, ut hac relicta vita et opibus,
Honoribus, amicis, lucris, negotiis,
Bonisque huius vitae abdicatis omnibus,
Operum, studiorum verborumque iudici
[C 1 b] Probatam cras reddas rationem.

Mercator.

Vae mihi!
Tonitrua et grandinem loqueris. Quid agam miser?
Quo me vortam? Ah, licetne paucis te alloqui?

Lyochares.

Quid vis? Loquere!

Mercator.

Quaeso te maiorem in modum,
Ne mihi succenseas, quod tibi dixi male.
Neque te neque tuam cognovi potentiam.
Alio modo notos compellamus, alio
Ignotos; ignotis raro suus datur honos.
Tui candoris est mala consulere boni.

Lyochares.

Nihil moveor maledictis, nec quidquam insolens
Abs te mihi accidit. Ubique fere istoc modo
Suscipior, rarus iam mihi dextram porrigit.

Mercator.

Quando igitur nil mihi succenses, porro obsecro
Supplex, ne in ipsis me voces negotiis,
Sed in aliquot annos hunc mihi diem proroges.

Lyochares.

Non mea res agitur; iudicis sententia
Te urget, quae nullis mutari precibus potest.

Mercator.

Tamen Ezechiae dati sunt anni quindecim.

Lyochares.

Ut istuc memoriter tenes! Sed unius,
Scis, privilegia communem non destruunt
Legem. Non cuiusvis tantum valent preces.

Mercator.

Heu, cor mihi dissilit. Tamen negotia
Quaedam mihi vixdum effecta sunt, ad quae annus aut
[C 2 a] Ad minimum menses undecim (nam gravia sunt)
Requiri possunt, ut conficiantur probe.

Lyochares.

Etiamsi mille annos perpetuos vixeris,
Non cuncta tamen confeceris negotia.

Nam uno nondum confecto succedit aliud.
Conficient alii, quod tu non confeceris.

Mercator.

Heu totus horreo. Ah ah, heredes nesciunt,
Qua cuncta transigenda sint sollertia.

Lyochares.

Discent natare aquis in os fluentibus.

Mercator.

Interimis me tuis dictis. Tantummodo
Sex, oro, menses concede, ut melius mihi
Subducatur ratio reddenda iudici, et
Donec raso vertice me fune cinxero,
Bonis permultis exornatus operibus.

Lyochares.

Neque sex neque quattuor, tametsi spondeas
Catena aut centum te cincturum funibus.

Mercator.

Vae mihi miserrimo, ut es inexorabilis!
Certe exorari quattuordecim dies
Posse reor, donec rediero a Francfordia,
Nam illic haud neglegendum est mihi commercium.

Lyochares.

Mihi committas; ego tuo fungar munere.

Mercator.

Ludis tu nunc quidem. Num tot dies putas?

Lyochares.

Ne unum quidem.

Mercator.

Heu, genua labant. Cor angitur.
Exanimor totus.

Lyochares.

Animam prende fortiter!
[C 2 b] Nam magnam vim tibi adfero pecuniae.

Mercator.

Pecuniae vim? Redeunt vires denuo.
Si adfers pecuniam, haud exiguam in spem vocas.
Pecuniam ergo cedo!

Lyochares.

Immo pestem accipe,
Quae te profecto die consumet crastino.
Haec est moneta, quam adfero mortalibus.

Mercator.

O spes et opes meae! O urgens necessitas!
O fatum inevitabile! Vae vitae meae!
O dolor et gemitus, quam ex improviso mihi
Adestis, quam cito cuncta abiere gaudia!
Oh, oh, quam uror, quam dolor est cordi proximus!
Capite me, famuli, et in lectum reponite!
Cogite medicos et antidota quaerite,
Ne me fatalis istaec consumat dies!

Lyochares.

Vel centum cogite medicos! Nullus tamen
Huius pestis telum poterit avertere.

Mercator.

Eheu Lucrum, Lucrum, quam me tui oblivio
Cepit, quam non lubet tibi posthac dare operam!

Lyochares.

Ehem, mulier!

Conscientia.

Quid est?

Lyochares.

Huius vim contudi,

Ferociam repressi, finem audaciae
Imposui; nec iam est, quod formides amplius.

Conscientia.

Bene actum, et tibi pro opera hac magnam habeo gratiam.
Nunc facillime locum meum occupavero.

Lyochares.

[C 3 a] Nunc age, Lucrum, quod tibi molestum praedicas
Fuisse, in omnibus apothecis quaerito, in
Arcis, cellis, cameris denique et armariis,
Mihique inventum renuntia!

Conscientia.

Repertum adest.

Lyochares.

Hem, quam crassum animal! Hasce actutum compedes
Accipe! Prohibebo, ne per omnes angulos
Terrasque et maria volites nec hominibus in
Foro ullam posthac exhibeas molestiam.

Lucrum.

Fortasse parum vobis videtur familias
Patrem oppressisse, nisi etiam mihi compedes
Immerito et innocenti iniciatis?

Lyochares.

Etiam
Mutire audes, nequam?

Conscientia.

Eia innocenti tibi!

Lyochares.

Praeterea et scabie te condono Gallica.
Faxo quoque, (quo dignas des poenas facinorum) ut
Turpiter ab huius distrahare heredibus,
Membratimque lacerere a canibus aut equis.

Lucrum.

Magnum dirumque malum, malis heredibus
Dari in potestatem. Sed tolerabo omnia,
Quandoquidem istuc rerum expetit necessitas.

Lyochares.

Hostibus oppressis pax est, Conscientia.
Quare Mercatorem exagites licet, ut lubet,
Officioque tuo dein fungare pristino.

Conscientia.

Sentiet ille quidem, quid sit Conscientiam
Laedere neque meis velle imperiis obsequi.

[C 3 b]

Lyochares.

Merito hercle. Sed ego abeo ad citatos ceteros,
Meum postquam hic munus confeci strenue.
Numquid vis?

Conscientia.

Ut cito redeas. En tibi gregem
Medicorum!

Lyochares.

Horum omnis hic opera frustrabitur.
Ne timeas! Sed abeo, ut revertar ocius.

CHORUS.

Quis tantus stupor est cordibus insitus
Humanis? Quis erit stultitiae modus
Tandem? Quando homines respicient sibi
Vitae impendere terminum,

*

Cum Mors horribili cottidie manu
Quosdam corripiat, nescia parcere
Ulli, non etiam regibus inclitis,
Quantumvis bene rexerint

*

Aut quantum populis exstiterint graves
Armis sive minis sive libidine?

(Vis leti simul haec dissipat omnia,
Contundens animos truces.)

*

Cum mors reiciat munera divitum
Nec vultum timeat multa potentium
Nec cedat validi viribus Herculis
[C4a] Nec magni faciat preces,

*

Sed cunctis pariter tristia concinat
Assistens subito carmina cordibus,
Ut missis aliis paene negotiis,
Se mox iudicio parent?

*

Quid reges agitat, quis furor horrida
Cursim in bella vocat? Propter inania
Gaudent absque metu commoda saepius
Rivos ducere sanguinis.

*

Quid quaerunt equites, quid pedites sibi, ut
Rapto iustitiae transiliant vias
Audacterque minis multiplicent mala et
Id ducant sibi gloriam?

*

Mercator quid agit, dum studet impiger
Comportare lucrum fraude, dolis malis,
Non magni faciens, artibus ex quibus
Fratrum possideat bona?

*

Mendaces quid agunt causidici, bonas
Qui causas reprobant atque probant malas,
Si spes exigui sollicitat lucri
Mentes nil metuentium?

*

Quid, qui scorta colunt, et quid adulteri,
Quid fures, quid avari et quid iners cohors
Verbum evangelii iam exagitantium?
Omnes iudicium manet.

*

[C4b] Durum heu iudicium iudicis, in quibus
Nullus regnat amor nec metus avocat

A mundi illecebris et grege perdito
Et factis procul impiis.

Mors nobis aderit serius ocius
Cunctis, cum ratio forte nec integra
Nec constans adeat lumina iudicis.
Felix, qui excubias agit!

ACTUS II. SCAENA I.

Medici. Puer. Mercator.

Medici.

Quantum quidem ex certis signis cognoscimus,
Hic homo diu vivere non poterit. Intima
Omnia pervasit pestis. Omnis luditur
Nostra opera, qua aegrotis aliis subvenimus.
Quapropter, ne, qui vitae auctores credimur,
Mortis spectatores simus nostraeque quid
Professioni committatur absonum,
Abeundum est. Poscamus per internuntium
Mercedem moneamusque, ut animae consulat,
Quandoquidem nulla vitae spes est corpori.
Ehodum, puer, ad nos!

Puer.

Quid me vultis?

Medici.

Audies.
[C 5 a] Satis perspicimus, frustra hic tempus terere nos
Nec morti herum tuum ulla posse arte eripi.
Res monet, ut abeamus; tu nobis postules
Mercedem moneasque, ut sibi ipsus consulat.

Puer.

Faciam. Here, medici abire volunt et postulant
Mercedem.

Mercator.

Quid? Abire volunt et deserere me?
Deus illis malefaciat! Huc me accedant, volo.

Puer.

Domini mei, ut se conveniatis, herus iubet.

Medici.

Aegre fert nos abituros scilicet?

Puer.

Probe
Divinastis.

Medici.

More hominum facit. Omnes sibi
A nobis mortis differri volunt diem,
Quasi et hoc herbarum vires efficere queant.
Irascuntur, si mors nostra arte plus valet.
Sed adeamus!

Mercator.

Quid, medici? Num gravissime
Me iam aegrotante vos abibitis, quasi
Pro opera vestra non possim mercedem dare?

Medici.

Ne tristeris, Mercator, nec succenseas
Nobis quidquam! Certa in te deprehendimus
Mortis signa, nec existimamus crastinum
Te victurum diem, sic te totum obtinet
Pestis pervasitque ipsa etiam penetralia.
Nos circa te omnia, quae potuimus, fecimus,
Nec est, quod a nobis quidquam amplius petas,
[C 5 b] Quippe nec ars nostra operatur absque termino
Et nos artemque nostram morti denique
Concedamus oportet, quae vincit omnia.
Quare cum nil possimus amplius, haud feras
Iniquo abitionem nostram animo, quaesumus.

Mercator.

Abibitis ergo?

Medici.

Te hic gravare nolumus
Frustra.

Mercator.

Certum est?

Medici.

Prorsus.

Mercator.

Meque in morte media
Relinquetis?

Medici.

Nec si totum hic decennium
Maneamus, te morti eximere quisquam potest,

Mercator.

Itane tandem?

Medici.

Ut quidem nos deprehendimus.

Mercator.

O stolidos aeque ac miseros, qui corpus suum
Curae vestrae vestrisque credunt pharmacis!
Non cogam vos manere hic, sed per me licet,
In maximam quam primum ut abeatis crucem.

Medici.

Parvi tua maledicta facimus omnia,
Ut quae a male sano sunt profecta pectore.
Numeretur nobis merces, ut abeamus.

Mercator.

Hoc
Est, mercedem audetis etiam pro mala opera
Poscere. Sed quid agam? Absolvam vos ocissime,
Ne vos gratis hic sedisse possitis queri.
Sed quantum poscitis?

Medici.

Quinquaginta aureos.

[C 6 a] **Mercator.**

Hui, tantillumne?

Medici.

Non est nimium a divite.

Mercator.

Non edepol, sed nimium vestrae est inertiae
Et egregiae vestrae operae, qua morbum mihi
Non depulistis, ceterum auxistis magis.
At heus, puer, his numera quinquaginta aureos,
Ut abeant, quo digni sunt!

Puer.

En habetis hic.

Medici.

Habemus et abimus. Tu Mercator, vale!

Mercator.

Nae ego, si quis alius, infelix homo sum ac miser,
Cui neque in medicis neque in amicis neque in
Pecuniis vel tantillum situm est opis.
O mortis incorrupta ullis violentia
Muneribus, quam tristes rerum das exitus!
Nec lacrimas nec querelas miserorum aspicis.
Sero hercle te timere didici. Heu quam meae
Iam in artum (quod dicunt) coguntur copiae!
Diris intus et extra affligor cruciatibus.
Ehodum puer, parochum accerse ocius, ut sacris
Me provideat, ut omnes morituri solent,
Doceatque modum, quo animae saluti consulam!

ACTUS II. SCAENA II.

Conscientia. Mercator. Satanas.

[C 6 b] **Conscientia.**

Iam tempus invitat, ut officium agam meum.
Medici puerque abiere; sola colloquar
Cum solo, quo me vel in extremis audiat.

Mercator.

Atqui ingentem congessi vim pecuniae,

Qua laetificabo heredes, ut magnas mihi
Post mortem gratias agant. Siquidem aliud
In mundo nihil egi, habitus sum vir dives et
Probus, qui dignus eram praeferri ceteris.
Sed unde nobis prodit Conscientia?

Conscientia.

Unde lubitum est. Sed quid ais nunc? Adsum tamen
Quantumvis etiam te invito. Quid ita oculis
Me tragicis obtuere? Quid teris pedem?

Mercator.

Quia nihil est, quî tibi comminuam sinciput.
Etiam tu in conspectum meum audes progredi,
Pessima, mihique in mediis iam doloribus
Quidquam loqui?

Conscientia.

Quidni? Nunc est occasio.
Cur me non opprimis? Cur non trudis foras?

Mercator.

Certe edepol, si quidquam adesset virium,
Pertunderem os istuc tibi, impudens, probe.
At iam facile illudis relicto ab omnibus
Causamque ex vinculis dicenti. Sed rogo
Te maiorem in modum, quandoquidem tu mihi
Ab ineunte aetate fuisti intima, ne meis
Quidquam doloribus addas neve vindices,
[C 7a] Quod quam tibi Lucro semper adhaesi magis
Teque meis ex aedibus exturbavi foras,
Ad miseriae donec sis acta terminos.
Peccavi, vicisti, victrici do manus:
Abeas quaeso modo nec mihi iam molesta sis!
Afflictis non etiam addenda est afflictio.

Conscientia.

Egone ut abeam officiumque meum deseram?
Quin adsum aderoque tibi et in ipsis inferis

Semperque ad aures tua malefacta tibi occinam,
Donec tibi cor fatiscat prae doloribus
Redigarisque et tu ad miseriarum terminos.
Neque Lucrum etiam istuc neque quisquam immortalium aut
Mortalium prohibebit. An nunquam tibi
In mentem venit, me emersuram denique,
Cum nullius ius iaceat perpetuo obrutum?
Nunc meus es, nunc vera tibi dicam plurima.

Mercator.

Ea demum summa miseria est, precibus nihil
Miseros posse obtinere. Sed quid ago, inopis
Qui memet animi facio? Patere, corculum,
Patiunda quaecunque imponit necessitas!
Agedum tu, quae malefacta habes mihi canere?
Quae vera adfers? Quod est imperium in me tuum?
Quos mihi caelum petenti narras inferos?

Conscientia.

Caelum tu?

Mercator.

Ita inquam.

Conscientia.

Si [C 7 b] quidem asinus aut lapis
Poterit volare.

Mercator.

Quare istuc?

Conscientia.

Etiam rogas?
Quia impius et improbus et nihili semper huc
Usque fuisti, deum contemnens iugiter.

Mercator.

Quid? Impium me et nihili, quem cives sibi
Publici consilii constituere principem?

Conscientia.

Nunquam recte notus fuisti civibus.
Neque mirum istuc hercule, tot eras tectoriis
Rerumque bonarum hypocrisi opertus callide.
Fefellisti cives et ab ipsis falsus es.

Mercator.

Video hercle, ita factum esse ipso sole clarius;
Sed quod fuerim impius atque Deum contempserim,
Mentiris, meque hic innocentem praedico.

Conscientia.

Euge innocentem! Si hoc possis defendere,
Nulla est causa, tibi cur dehinc molesta sim.

Mercator.

Negas igitur?

Conscientia.

Et maxime.

Mercator.

Hem, quo modo?

Conscientia.

Impius est, qui nulla Dei cura tangitur.
Qui non timet, videtur is contemnere.

Mercator.

Cum dederim eleemosynas pauperibus maximas,
Cumque inter primos adfuerim in ecclesiis,
Et cottidie certas oraverim preces,
Quin et cum omni ipsius altare supellectili
[C 8a] Construxerim atque etiam vestes dederim sacras
Nec expensae in missas numerus pecuniae
Vulgaris sit, sed sortem excedat pauperum,
Tu me Deum non curasse audes dicere?

Conscientia.

Non infitias eo, istaec te fecisse, sed
Coram Deo, aio, nullius esse ponderis.

Mercator.

Cur istuc?

Conscientia.

Quid multis opus est ambagibus?
Deum non curat, qui praecepta neglegit:
Sed neque curat, qui non praecepta perficit.
Non in mentem venit, quid adhuc puer patri
Matrique feceris? Quo pacto quindecim
Patri aureos surripueris et negaveris
Et apud sodales nequam eos decoxeris,
Qui a matre correptus eam verberaveris
Adeoque ambos habueris ludibrio, sed et
Exserta lingua illorum iussa spreveris?
Quoties illis mala imprecatus sis et haud
Raro illorum pessime capita devoveris
Mortemque optaveris et ita semper vixeris,
Ut ipsis omnique familiae esses dedecus?

Mercator.

Equidem vera memoras neque negare queo; ita
Me testibus vel mille oppressum sentio.

Conscientia.

Quid memorem, quod iam mortuis parentibus
Fratrem veneno sustuleris, ne quis tibi
[C 8 b] Coheres esset, et quasi esses innocens,
Extortis fictisque illum lacrimis fleveris?

Mercator.

Memini hercle etiam istuc.

Conscientia.

Nonne recordaris, quibus
In ganeis fueris et quod meretricibus
Servieris turpiter et quod adulter septies
Sis deprehensus atque hisce studiis tuam
Nequiter hereditatem dilapidaveris?
Longum esset narrare, quibus postea artibus,
Furtis, mendaciis, periuriis, dolis,

Imposturis, fallaciis, astutiis
Sortem illam maledictam ex alienis domibus huc
Raptam intuleris ex eaque Lucrum produxeris.
Scisne hoc ita esse factum?

Mercator.

Tua opera hercule.

Conscientia.

Quid, quod neque Deum neque homines, non filios,
Non uxorem, non cognatos, non denique
Affines aut amicos tanti feceris
Quanti Lucrum? Nam illius causa publicus
Hostis eras immortalium et mortalium.
Illud tibi actionum scopus erat unicus,
Illud adorabas tibique summus erat Deus.
Ecquid negare potes horum?

Mercator.

Nihil omnium.

Conscientia.

Scis etiam istuc, quo pacto indignabar tibi,
Cum acceptos ab amico ducentos aureos
Te accepisse negabas et iurabas scelus?

[D 1 a] **Mercator.**

Vae mihi, quam vera narras! Quam me perditum
Aspicio!

Conscientia.

Ex xenodochio, cuius cura tibi erat
Commissa, in singulas hebdomadas quindecim
Rapuisti drachmas, ne domi sumptum ex tuo
Faceres, neve Lucro quid decideretur. Et
In hunc modum familiam cunctam annos decem
Huc usque sustentasti, nec quis civium
Abs te hactenus ausus est rationem poscere,
Nec tu sponte tua unquam curasti reddere.

Mercator.

Heu, quam me malefactis gravas et deprimis!

Conscientia.

Si, quoties peccasti in Deum atque proximum,
Recitare velim, non hic suffecerit dies.
In summa autem, terrae fuisti pondus et
Plumbea, quae iam inferis debetur, sarcina.
Quibus ex factis audes sperare gratiam?
Quo Pegaso superos adibis perditus?
Qua spe, qua fronte impius aspicies iudicem?
Qua denique aeternos ignes fiducia
Effugere poteris? Annon in mentem tibi
Venit, quam gravis ultor sit iniquorum Deus,
Quantus sit aemulator legis traditae,
Quam non suis parcat nec parserit hostibus?

Mercator.

Vae mihi, perpetuo ut me trudis in angustiam!
Discede a me, obsecro, nec mihi quidquam occinas!
Spinas, tribulos et verba loqueris saxea.

Conscientia.

Haud
[D 1 b] Discedo, sed ostendam tibi, qualis vir sies.
Sed recte Satanam video accedere: hic tibi
Non facta solum, sed verba quoque singula
Ex codice ostendet, te ut plane perditum
Agnoscas.

Mercator.

Hei mihi! Ubi est?

Conscientia.

Eccum quam proxime!

Mercator.

Ah, quo nunc fugiam miser?

Conscientia.

Ad Sortem, censeo.
Cur non etiam Lucrum invocas?

Satanas.

Cetera quidem
Recte omnia habent. Doctores omnes sentiunt,
Quae maxime volo, ut discipulorum mihi
Ex retibus evadat nullus. Nunc viso, quid
Mercator agat rerum, an se quoque iam accinxerit,
Ut una cum aliis cras prandeat apud inferos.

Conscientia.

Audis, quod loquitur? Cras prandeat apud inferos.

Mercator.

Vae mihi! Quis ex huius me eripiet unguibus?

Conscientia.

Lucrum, Lucrum invoca, cultus ut sit memor!

Mercator.

Nihil facilius quam subsannare miseros.

Satanas.

Quid agitur? Ecquid vos accingitis ad iter?

Conscientia.

Curatur sedulo. Hunc ego totum tibi
Dedo. Nam imperii scita tui secutus est.

Satanas.

Scio. Codex hic omnem operam testabitur.

Mercator.

Deus te perdat, Satana, quid mecum tibi
Rei est? Quid hic quaeris? Cur non, quo dignus es,
Abis?

Satanas.

Diu iam mihi tecum est commercium:

[D 2 a] Te quaero. Quin et tu mecum, quo dignus es,
Abis?

Mercator.

Tecum, pessime?

Satanas.

Ad Acherontem, inquam, veni,
Ubi magna tuorum turba sedet sodalium,
Turpilucri cupidorum, furum, rapacium
Nec non diversis deditorum sceleribus!

Mercator.

Ubi me locorum hominem novisti eiusmodi?

Satanas.

Ubi, quaeris? Inspice hunc et pellege codicem!
Reperies, quid, ubi, quoties, quando, quomodo,
Qua, per quos, cur, quibuscum, quibus, et omnia.

Mercator.

Hei misero mihi, quam accurate scripta omnia,
Quantus numerus quantaque rerum est indignitas!

Conscientia.

Iam nunc infitiator vel minimum, si potes.
Equidem et ego sum singulorum conscia.

Satanas.

Nonne intellegis ex his, te fore Acheronticum?

Mercator.

O si mihi terra dehiscat et colles meum ab
Irati iudicis aspectu operiant caput!
Heu, iam inferos, iam aeternos ignes sentio.

Satanas.

Pulchre dicis. Nos interea saltabimus.

Mercator.

Nemo esse potest, iratior cui sit Deus,
Nec in quem fortius sua tela torqueat,

Quam in me. Videntur universae in me unicum
Conspirasse creaturae, ut nusquam sit salus,
Nusquam perfugium, nusquam et auxilium mihi.
Superne venit ira atque indignatio,
[D 2 b] Interne infandos cor gemitus excreat,
Inferne poenae annuntiantur horridae.
Neque id immerito. Quis enim me peior? Quis Deum
Audacius contempsit? Aut quis hominibus
In omni iniuriarum genere unquam fuit
Gravior? Oh oh oh, quam male et quam perdite
Et vitam omnemque collocavi industriam!

Satanas.

Vere quidem, sed frustra narras omnia.
Cras mecum ibis; non est, quod speres gratiam.

Mercator.

Animadverto prorsus nullam pestem ita gravem,
Nullum esse tormentum tam formidabile,
Quam est vel levissima peccatorum sarcina.
O si veniat parochus, qui aut istam sarcinam
Auferat aut os obturet Conscientiae
Aut exsecrando Satanae rumpat codicem,
Cuius me ad mortem adigit et commemoratio!

Conscientia.

Mihi quisquam obturet os aut huius codicem
Dilacerare queat?

Mercator.

Meliora ego, quam dicitis,
Huc usque spero, quamvis cor gravissime
Per vestras semper affligatur naenias.

Satanas.

Nihil moramur spem, modo desperatio
Claudat vitam.

Mercator.

Nondum, pessime. Sed ecce iam

Huc pastor advenit, a quo consilium petam,
Quo pacto vestras effugere possim manus
Atque heu vos a me pellat, siquidem mihi
[D 3 a] Omnino est moriendum, ne me terroribus
Perpetuae mortis desperatum ad tartara
Rapiatis.

Satanas.

Rectam instas viam. Nam te quidem
Frustra quidvis sperantem rapiam ad tartara.
Nec huius pastoris consilium, qui suis
Ter stultior est ovibus, cassa nuce pendimus.
Sed cymbalum tinnit; fortasse aliquid sacri
Secum adfert, ut asinus portans mysteria.
Sed heus, tu prope lectum hic consiste, in angulum
Ego interim concedam hunc et venientibus
Perstringam oculos, ne nos videre possient.

ACTUS II. SCAENA III.

Parochus. Puer.

Parochus.

Mira profecto narras —

Puer.

Tamen verissima.

Parochus.

Venisse quendam, qui se mortis diceret
Nuntium?

Puer.

Ita inquam.

Parochus.

Pestemque hero attulerit tuo?

Puer.

Res ipsa docet.

Parochus.

Et secum Conscientiam

Introduxerit atque male Lucrum multaverit
Luctuque gravi totas aedes impleverit?

Puer.

Nil verius offendes.

Parochus.

Medicisque iratum herum?

Puer.

Nunquam cuiquam iratiorem. Sed fores
Patent. Ingredere! Iam pridem exspectat, scio.

[D 3 b]

ACTUS II. SCAENA IV.

Parochus. Mercator. Conscientia. Satanas.

Parochus.

Salve, Mercator!

Mercator.

Det tibi Deus, quae velis!

Parochus.

Audio te male valere.

Mercator.

Haud ex sententia.

Parochus.

Credo hercle istuc. Sed quid morbi est?

Mercator.

Pestem vocant.

Parochus.

Deus illam perdat!

Mercator.

Immo me illa funditus.

Parochus.

Dirum telum necessitatem praedicant.

Mercator.

Sic est. Sed scire hoc parvula consolatio est.

Parochus.

Egredimini vos ceteri, ut sine arbitris
Peccatorum excipi possit confessio!

Mercator.

Desperarunt medici me posse vivere,
Quod et per se mihi accidit gravissimum,
Tum quod linquenda sunt, quae habeo carissima,
Tum quod et alioqui mundi huius compaginem
Solisque iubar aspicere omnes homines amant.

Parochus.

Verum dicis.

Mercator.

Aliud tamen huic gravissimo
Gravius accedit.

Parochus.

Quid gravius esse queat, haud
Video.

Mercator.

Tu hercule nihil vides, si hoc non vides.

Parochus.

Quidnam?

Mercator.

Peccatorum gravior est sarcina.

Parochus.

Nequaquam. Siquidem ego incedo levissime,
Cum etiam in peccatorum volutabro haeream.

[D 4 a] **Mercator.**

Fortasse nulla te agitat Conscientia
Neque tuorum scelerum conspexisti codicem?

Parochus.

Quam conscientiam quemve mihi codicem
Narras?

Mercator.

Rogas?

Parochus.

Puer mihi narravit tuus
Ad te quidem introductam Conscientiam;
Sed ignoro, qualis sit illa bestia.
Peccatorum ego nunquam conscripsi codicem:
Itane perdiligenter scripsisti tua?

Mercator.

Hei misero mihi! Vae capiti tuo et inertiae!

Parochus.

Maledicis mihi pastori?

Mercator.

Da veniam, rogo.
Solent languentes esse morosi.

Parochus.

Sentio.

Mercator.

Res est, ut dixi. Accessit morbo corporis
Gravior infirmitas animi et angustia,
Simulac me scelerum admonuit Conscientia.
Eam, tametsi cupiam, nequeo vincere,
Ut aut taceat aut abeat nec molestiae
Quidquam addat corporis gravibus doloribus.
Sed illa lecto adhaerens nunquam desinit
Et scelera obicere et iram canere iudicis.

Parochus.

Ubi est illa locorum?

Mercator.

Hic in sponda. Non vides?

Parochus.

Non edepol.

Mercator.

Nihil te hercle videre arbitror,
Qui tam manifestam non videas.

Parochus.

Quae non adest,
Qui videam?

Mercator.

Bone Deus, adest. Utinam vero sit,
Quod praedicas, non adsit nec me exterreat!
[D 4 b] Absterge oculos!

Parochus.

Nihil est vitii. Abstergam tamen.

Mercator.

Vides? Huc aspice!

Parochus.

Nondum.

Mercator.

Age, age iterum atque iterum
Absterge!

Parochus.

Non video, etiamsi milies
Abstergam.

Mercator.

Mira hercle est tua caecitas. Vide, an
Ophthalmia aut labores lippitudine!

Parochus.

Quam tu (malum) mihi narras lippitudinem?
Nihil est vitii. Sed tu nunc me ludos facis.

Mercator.

Non facio neque decet, neque ita accipias rogo.
Sed amabo te, dic veritatem: non vides?

Parochus.

Non hercle quemquam nisi te. Conscientiam,
Quam ais, non video neque videre adeo volo.

Mercator.

Esto. Faxit Deus, ut ista a te caecitas
In tempore auferatur, ne simili modo
Eam mecum in supremis tandem sentias!
Certe equidem ego te huc adversus Conscientiam
Accersivi advocatum, ut, quidquid haec mihi
Criminis obiceret, consilio et prudentia id
Tua dilueretur et internus premeretur dolor.

Parochus.

Facile id quidem potest fieri, obiciat modo.

Mercator.

Sed tu hanc non cernis.

Parochus.

Quid facias? Si vere adest,
[D 5 a] Verba faciat; tum facile illi os compressero.

Conscientia.

Scilicet.

Mercator.

Audis nunc illam?

Parochus.

Audio. Papae! Quid est,
Praestigiatrix, quod ades et te non conspicor?

Conscientia.

Tu alienam videas, qui tuam ipsius haud vides?

Parochus.

Quid tu Mercatori huic viro integerrimo
Molesta es? Cur illum trudis in angustiam?

Conscientia.

Quia lubet.

Parochus.

Cur non discedis? Cur non taces?

Conscientia.

Quia non lubet.

Parochus.

Edepol te ego mulierem malam
Arbitror.

Conscientia.

At ego te nil mentis habere arbitror.

Mercator.

Audis profecto, quam procax sit et impudens.

Parochus.

Non mirum hercule, si haec tibi negotium exhibet.
Sed bono animo es! Discedet a te mea opera.

Mercator.

Utinam hoc fieri possit!

Parochus.

Confide tu modo
Et audiens sis dicto!

Mercator.

Quidvis praecipe;
In me quidem nulla erit ad parendum mora.

Parochus.

Primum tua mihi confitere crimina,
Ut absolutus provideare dein sacris!
Tum certe nihil habebit Conscientia,
Quod obiciat.

Mercator.

Optimum erit. Et parebitur.
Aures arrige!

Conscientia.

Fortasse hunc tu asinum esse autumas?

[D 5 b] **Parochus.**

Compesce linguam, mulier!

Mercator.

Per sacra te omnia
Obtestor, paulisper taceas, in aurem huic
Donec pauxilla quaedam denarravero.

Parochus.

Audacter narra ἄγχι σχὼν κεφαλήν!

Mercator.

Domine mi
Colende, confiteor tibi, me esse maximum
Peccatorem et transgressorem legis Dei
Verbis, factis et cogitationibus,
Non credidisse, quod quantumque debui,
Et impium absque metu operatum esse scelera.
Furem, raptorem, scortatorem, adulterum,
Homicidam, quadruplatorem, veneficum,
Mendacem, perfidum, sacrilegum, matris et
Patris contemptorem, periurum, publici
Fraudatorem decoctoremque proprii,
Et ut summatim dicam, scelerum antistitem
Me confiteor fuisse, quorum me pudet
Iam et paenitet. Et propterea in animi angustiis
Versor iugiter. His semper Conscientia
Me excruciat et Satanas ad inferos trahit.
Nec aliter cor peccata praegravant meum,
Quam si impositum feram Taurum cum Caucaso.
Quare si quid potes consilio, subveni,
Solve a peccatis, aufer iudicis metum,
[D 6 a] Compesce Conscientiam, Satanam abige!

Satanas.

Pappax!

Parochus.

En prae metu venter tibi murmurat.

Mercator.

Non, o bone, sed est aliud vicinum malum.

Parochus.

Haud ab re. Nam es peccator hercle maximus,
Nec ullum mortalem tot tantaque crimina
Designasse audivi. Quia tamen postulas
Solutionem et inferorum principem
Metuis, mea eris (tantum crede) solutus opera.

Satanas.

Pappax!

Parochus.

Tu podici imperare non potes.

Mercator.

Possum hercle, sed alius est, qui nos ludibrio habet.

Parochus.

Alius fortasse, quia te invito murmurat.
Sed responde! Ecquid etiam habes operis boni?

Mercator.

Recte mihi in memoriam redigis bona opera,
Quae dudum peccatorum prae formidine
Evanuerant omnia. Sunt equidem plurima.

Parochus.

Quaenam?

Mercator.

Eleemosynae pauperibus datae, preces,
Afflictiones corporis, ieiunia,
Templorum contionumque frequentatio.

Parochus.

Istaec tene! Hinc siquidem conficiuntur merita. Quid
Deinde? Ecquid bene fecisti unquam ecclesiis?

Mercator.

Feci, altaria construxi, ornatum tradidi,

[D 6 b] Binos donavi calices, candelis meis
Totum quotannis templum pellucet quater.

Parochus.

Euge, his licebit factis caelum scandere.

Conscientia.

Scilicet.

Parochus.

Hem quid? Non credis?

Mercator.

Quidni credam ego?

Parochus.

Putabam te non credere tuo scilicet.
Ecquos habes patronos ex caelestibus?

Mercator.

Franciscum, quod et ille olim mercator fuit,
Et Barptolomaeum, eo quod unus divitum.

Conscientia.

Cur non et Iudam, qui unus fuit ex furibus?

Parochus.

Noli tu quidquam auscultare huic veneficae!
Bellos patronos obtines. Illis tuam
Audacter causam teque totum dedito!
Nunquamne ivisti quoquam peregrinatum? Et hoc
Ad peccatorum veniam permultum valet.

Mercator.

Nunquam quoquam hercle religionis gratia, at
Saepe ad mercatum, et si diutius mihi
In vivis esse liceret, non illud etiam
Neglectum pietatis opus praetermitterem.

Parochus.

Spondes igitur, si convalueris denuo?

Mercator.

Spondeo.

Parochus.

Quid autem, morti si concesseris?

Mercator.

Tum scis me non posse.

Parochus.

Immo maxime potes.

Mercator.

Quo pacto?

Parochus.

Conduc, qui tua pecunia
Eant, quod tibi coram Deo imputabitur,
Perinde quasi tutumet omnia perfeceris.

[D 7 a] **Conscientia.**

Quasi!

Mercator.

Hoc negare videtur Conscientia.

Parochus.

Pergis huic auscultare quidquam pessimae?
Mihi crede, mihi tua erit commissa anima, modo
Sufficientem ad res hasce des pecuniam.

Mercator.

Num tantisper mihi erit manendum in inferis,
Donec, si quam mandaro, peregrinatio
Sit absoluta?

Parochus.

Iudicii diem pete
Aliquantisper differri, ut absolvi queat!

Mercator.

At quid, si noluerit iudex annuere? Nam et
Edicto sum iussus adesse peremptorio.

Parochus.

Nihil erit, crede dumtaxat, periculi.
Ego animam pro te ausim meam dare pignori.

Satanas.

Papapappax.

Parochus.

Audes dictis his oppedere?

Mercator.

Non hercle ego, sed Satanas iam oppedit tertium.

Parochus.

More omnium facis, qui, si quid haud probe
Cecidit, non semet, sed Satanam accusant. Volo
Scire, an verbis meis quidquam fidei habeas.

Mercator.

Cur non, quaeso, cum te huc ad me vocaverim?
Dic, quasnam peregrinationes approbas?

Parochus.

Hierosolymis, Romae et Compostellae omnium
Magnorum quamvis criminum est remissio.

Mercator.

Ain tu?

Parochus.

Nihil habeas hoc certo certius!

Mercator.

O me miserum, qui per tot terras mariaque
Volitavi, nec ea unquam loca adire contigit,
Peccatorum in quibus est condita remissio!

[D 7 b] **Parochus.**

Non te adflictes propterea! Da pecuniam;
Ego conducam, qui illuc tuo eant nomine.

Mercator.

Siquidem ita vis. Sed quanta opus est pecunia?

Parochus.

Romam quinquaginta, Compostellam dato
Ducentos, Hierosolymam quingentos aureos.

Mercator.

Dabo, tantummodo certa sit remissio.

Parochus.

Certissima, ne dubites. Deinde ecquas tibi
Unquam nummis redemisti indulgentias?

Mercator.

Illarum mihi plenum est marsupium litteris.

Parochus.

Proferto!

Mercator.

Ecce.

Parochus.

Oh, satis iam contra daemones
Munitus es. Non est, quod metuas ab inferis.

Mercator.

Putasne?

Parochus.

Prorsus. Iam ex praedictis omnibus
Satis efficax tibi temperabo poculum
Teque absolvam.

Mercator.

Bene.

Parochus.

Dilatato gutture
Totum hoc exsorbeto! Quae fecisti, omnia
Bona opera, aut quae alius pro te aliquis facturus est,
Et peregrinationes et ieiunia,
Preces, eleemosynae, calices, altaria,
Vestes sacrae templorumque frequentatio,
Candelarum multarum procuratio,

Orationes patronorum atque merita,
Diplomata pontificis et indulgentiae,
Mala, quae perpessus es et posthac passurus es,
In criminum tuorum cedant omnium
[D 8 a] Remissionem. His te absolutum credito!

Mercator.

Facile credidero, si non Conscientia
Contradixerit.

Parochus.

Hem, si sapis, haud morabere
Huius tu contradictionem.

Mercator.

Volo quidem
Facere ita, ut dicis, sed quo pacto, nescio
Usque adeo meum animum istius dicta feriunt.

Parochus.

Non hinc facessis tandem, Conscientia?

Conscientia.

Nondum, bone vir.

Parochus.

Quid ita? Hic tamen absolutus est.

Conscientia.

Ita, ut splendet, qui lotus est carbonibus.

Parochus.

Ego te, mulier, aliqua credo infectam haeresi,
Quae clavibus audes Papae contradicere.
Numquid habes aliquid huic obicere criminis?

Conscientia.

Eadem, quae prius, habeo omnia.

Parochus.

Quid igitur ais?

Conscientia.

Aio hunc aeterno obnoxium esse incendio,
Neque bona ulla spe posse adire iudicem.

Mercator.

Audis nunc, ut caeli ex supremo vertice
Me ad inferos retrorsum praecipitem trahat?

Parochus.

Non cures. Respice in bona dumtaxat opera
Atque patronis salutem commendes tuam!
Si me audis, non tanti huius facies verbula.

Mercator.

Si possim. Cerberi latratus mavelim
Quam verba istius audire adversantia.

Parochus.

Nimis formidolosus es. Ecquid meliuscule
[D 8 b] Cor habet ex potione?

Mercator.

Nil, quod sentiam.
Venter quidem mirum in modum turget, quasi
Quiddam biberim venenis peius Colchicis.
Bonorum opinor esse operum fiduciam.

Conscientia.

Ea tu iam recta perges ad tartara.

Parochus.

Immo ad caelum, nugatrix. Nunc intellego,
Te haereseos infectam lepra, cum reicis
Simul et opera bona et operum fiduciam.

Conscientia.

Ex nullis factis peccatorum huic provenit
Remissio, cum in iussis reus sit omnibus.

Parochus.

Age age, clarius ostende, quam haeretica sies!

Conscientia.

Dedit ex furto, quae dedit, oravit impie, et
Fuit impietas cunctorum operum semper comes;
Fallit igitur omnis horum operum fiducia,
Et altius perpetuis uritur ignibus:
Quapropter et hic ibit ad Acherontis terminos.

Mercator.

Vae mihi, ut haec semper Acherontem atque tartara
Occinit! Age quaeso, Paroche, et hanc melioribus
Aut dictis aut factis abige, quantum potes!

Parochus.

Vah, quod ego hanc sceleratam non cerno, ut hoc libro
Dentibus illi excussis exemplum ceteris
Darem, ne doctrinae obstreperent Papisticae.

Conscientia.

Libris pugna, quandoquidem verbis non potes!

[K 1 a] **Parochus.**

Cave etiam atque etiam, Mercator, ut aliquid huic
Credas, (haeretica est) ne et tu in haeresim incidas!
Experiar certe, an illi os istuc impudens
Queat obstrui. Dic veritatem et audiens
Sis dicto! Post mortem quid vis fieri tibi?

Mercator.

Sepeliri.

Parochus.

Non istuc rogo. Sed num quas dein
Missas, psalteria, vigilias et funebres
Pompas in testamento caveris tibi?

Mercator.

Non; neque enim huc usque testamentum condidi.
Condam autem consilio adiutus tuo.

Parochus.

Probe.
Placet igitur, quo quiescat Conscientia,
Ut ita condas:

Mercator.

Ausculto.

Parochus.

Primum ecclesiae
Sacerdotale et opimum munus tradito, ut
Per illud perpetuo hic tua vivat memoria!
Cui illud obtigerit, in missis omnibus
Pro te sacrificabit et exorabit Deum;
Deinde omnes monachorum et cerdonum ordines,
Rectores ludorum et caterva clerica
Te ad bustum cernui comitentur, lugubre
Quid occinentes, quo et manes flecti queant,
Illis fac drachma dispensetur singulis!
Praeterea, sub sacro, quod pro te agetur, in
Egenos singulos fac argenti uncia
Distribuatur et ulnae quadraginta boni
[E 1 b] Panni in feretro spem et nuditatem pauperum
Levent! Sacrificanti mihi pro te quindecim
Ad altare offerantur aurei probi;
Similia septimo die et tricesimo
Fiant. Interea per monasteria quoque
Tuae salutis habeatur ratio. Neque
Psalteria centum, aut missas bis totidem putes
Nimium esse! Non hic parcendum est pecuniae,
Ubi pretiosa animae conquiritur salus.
His factis, crede mihi, vel Iudas vel Nero
Vel alius quispiam nebulo turpissimus
Ex inferis supremum caeli verticem
Peteret.

Mercator.

Sed plurimis opus est pecuniis,
Quas heredes aegre sibi decidi ferent.

Parochus.

Nulla tibi sit heredum cura. Tuas res age!
Quas dixi, res in testamentum condito,
Quod nullus rite factum audebit carpere!

Mercator.

Qua re salutem consequuntur pauperes,
Quorum tota supellex vix aureis decem
Divendi possit, neque tamen interim minus
Peccant, sed in flagitiis haerent maximis?

Parochus.

Non hercle ausim illorum tibi promittere
Salutem. Nam cum debeant quam plurimum
Nec sint solvendo, traduntur tortoribus,
Donec novissimum quadrantem solverint.
[E 2 a] Omni autem habenti dabitur; quod ita intellege:
Vita aeterna dabitur habenti pecuniam.
Quare et salus tibi tua est certissima.

Satanas.

Pappax!

Parochus.

Tuis visceribus maleficiat Deus,
Ex quibus ita clara promis toties tonitrua!
Itane honestas meam et operam et praesentiam?
Si sic pergis, abiero.

Mercator.

Rogo te plurimum,
Paroche, ne quidquam horum mihi imputes neque
Abeas. Certissime enim Satanas tonat, haud ego.

Parochus.

Fortasse illum intra viscera conclusum geris?

Mercator.

Bona verba! Immo istic sedet in angulo; viden?

Parochus.

Aufer istas nugas, simul et hosce crepitus,
Nisi in mediis relinqui vis doloribus!

Mercator.

Utinam Satanae queam imperare, ne crepet,
Sed in barathrum abeat suo cum podice!

Parochus.

Deliras hercle, qui ipsus maledicas tibi.
Quare aequo animo tuam hanc feram impudentiam.
Sed iam redi ad te et audi, si vis, reliqua!

Mercator.

Hic sum; loquere!

Parochus.

Salus tua est certissima
Propter magnam nummorum multitudinem,
Si quidem eos, ut iam dixi, dispensaveris.
Quantum etiam pro salute dederis, optime
Datum est nec te eius capiet paenitentia.

Mercator.

Non poterit hercle, si quidem certa est salus.
[E 2 b] Sed vereor nonnihil, ne delicta nequeant
Pecuniis redimi, apud illum maxime,
Bonis qui nullis nec pecuniis eget.

Parochus.

Possunt, crede mihi.

Conscientia.

Praesertim te iudice,
Sed non apud Deum.

Mercator.

Audis, haec ut perneget?

Parochus.

Si quid huic pergis credere, te ad insaniam
Cito rediget. Ecquid aliud habes, quo solvere
Tanta queas debita?

Mercator.

Nihil.

Parochus.

Ecce. Quomodo
Igitur sperare potes, ne sis in carcerem
Trudendus atque tradendus tortoribus?

Mercator.

Nullo modo.

Parochus.

Ecce. Ecquam nosti ad caelum viam?

Mercator.

Nullam.

Parochus.

Ecce.

Mercator.

Sed huius te accersivi gratia, ut
Ostenderes, quae ignoro.

Parochus.

Recte. Sed mihi
Docenti et ostendenti non vis credere,
Cum hoc tamen omnes discentes facere oporteat.

Mercator.

Credam profecto, si quidem hanc deviceris
Et cor latum reddideris ex angustia.

Parochus.

Fiet. Sed et interim mihi credi volo.
Condito testamentum ita, ut dixi! Vis condere?

Mercator.

Volo.

Parochus.

Iam ego ex missis et psalteriis et ex
Cunctis bonis operibus, quae praedicta sunt,
[E 3 a] Cordi salubria conficiam catapotia,

Ut melius habeas nec te Conscientia
Divexet miserum.

Mercator.

Propera igitur, quantum potes!
Nam ex potione nihil sentio levaminis.

Parochus.

Confide! Singulatim quodque glutias.
Comprime nunc os et acetum naribus admove!
Ne nausees! Istuc magnopere proderit.
Ecquid tandem sentis?

Mercator.

Me plane perditum!

Parochus.

Quid, perditum? Nil operantur catapotia?

Mercator.

Multum edepol.

Parochus.

Euge, sciebam istuc antea.

Mercator.

Nam pristinis malis adiciunt nova.

Parochus.

Hem, nova?

Mercator.

Ita inquam.

Parochus.

Non dilatatur tibi corculum?

Mercator.

Non. Sed venter mirum in modum protenditur,
Quasi morbo intercute laborem.

Parochus.

Non est malum hoc.

Mercator.

Non. Siquidem perire bonum est.

Parochus.

Quid hominis es?
Si appensus fueris in statera, te duplo
Hinc scito fore graviorem.

Conscientia.

Ut eo facilius et
Ocius ad inferorum centrum permees.

Parochus.

Quid gannis, propudium? Immo, ut operibus bonis
Peccata vincat et recta in caelum volet.

[E 3 b] **Conscientia.**

Quonam modo ita volabit ventriosus et
Gravi depressus peccatorum pondere?

Parochus.

At a peccatis est solutus mea opera.

Conscientia.

At tua opera immersus peccatis est novis.

Mercator.

Heu me miserum, quam me istius dicta perimunt!

Parochus.

Deus te perdat, Conscientia, quae mihi
Inauditum prius exhibes negotium!

Mercator.

Arte tua (ut video) istanc opprimere non potes,
Quantumvis animarum te medicum praedices.

Parochus.

Video, quid sit. Movendus est omnis lapis
Et ad sacram tandem confugiendum ancoram.

Mercator.

Sacra et profana quaeso profer omnia,
Tantum ut quiescat haec et cor angustiis
Solvatur! Accipies, quidquid poposceris.

Parochus.

Ne diffidas! Sed te iam ad sacra praepares!
Corpus domini Iesu Christi custodiat
Te in vitam aeternam! Iam nunc Conscientia,
Si quid potest, obiciat.

Mercator.

Ne exstimules, rogo.

Conscientia.

Cur non huic, Paroche, porrigis et sanguinem?
Cur, quae coniunxit Christus, tu discerpere
Audes? Cur non huic sacrum das integrum?
Quid hic ita male de te meritus est, ut reum
Faceres atque etiam sacrilegio involveres?

Parochus.

Quid tibi, (malum) mulier, istaec curatio est?
Priscorum patrum sanxit hoc auctoritas,
[E 4 a] Ut populo detur corpus absque sanguine,
Ne sanguinem male cauta plebs effunderet.
Et istuc factum tu sacrilegium vocas?

Conscientia.

Sacrilegos patres, qui sanxerunt, nec minus,
Qui factum hoc pervicaciter defensitant.
Sanctis plus una Christi valet auctoritas,
Quam si sescenti patres afferrent suam.

Mercator.

Nonne loquacem dixi tibi esse hanc plus satis,
Etiamsi nullus exstimules?

Parochus.

Nonne et tibi

Dixi hanc esse haereticam, ut caveres sedulo,
Ne te seduceret? Si soli crederes
Mihi, iam pridem emersisses ex angustiis.

Mercator.

Soli credam, si solus vera dixeris.
Nam veritate opus est in iudicio mihi,
In quo aut vincere continget aut succumbere.

Parochus.

Quasi non semper tibi dixerim verissima.
Non est meum mentiri aut fallere quempiam.
Qualem si me non censes, quid tempus tero?

Mercator.

Ego vero talem te esse reor, nisi quod nihil
Propter tuam melius habeo praesentiam.
Aut vim occultas tuam aut me Conscientiae
Satanaeque prodis, de te sperantem secus.

Parochus.

Quid ais? Non occulto quidquam nec prodo te.
Omnes salutis tibi commonstravi vias,
Quas quidem et ipse irem atque meo ostenderem patri.

[E 4 b] **Conscientia.**

Fortassis et tuum seducturus patrem?
Caecus caecis haud rectas ostendit vias.

Parochus.

An tu me caecum existimas, venefica?

Conscientia.

Tiresia caeciorem.

Parochus.

Vae capiti tuo!

Conscientia.

Tuo inquam, cuius hic frustratur opera.
Nec mirum hercule; sic agis omnia praepostere.

Ad vincendum vocatus es, sed vinceris;
Ad solvendum, sed magis atque magis colligas;
Ad monstrandam ad caelum viam, sed haec tua
Monstratio directe deducit ad inferos.
Quare etiam hic tua opera obicietur Cerbero.

Mercator.

Audis, te nil proficere nec me liberum
Esse a peccatis, sed fore escam Cerberi?
Heu, quam patentes Orci fauces conspicor,
Quam abiectum esse a Deo, quam me irae iudicis
Obnoxium! Te, Paroche, rogo, oro et obsecro,
Si nil vales adversus Conscientiam,
Ne me perpetuo agat reum, saltem mihi
Peccatorum auferas pondus gravissimum,
Ut respirare queam.

Parochus.

Abstuli equidem et aufero.

Conscientia.

Ut
Qui plumbum imponit capiti.

Mercator.

Ne micam quidem
A pondere ablatam sentio.

Parochus.

Culpa est tua,
Non mea.

Mercator.

Quo pacto?

Parochus.

Cur tu haereticae huic magis
[E 5 a] Credis quam mihi?

Mercator.

Quia veriora dicere
Videtur.

Parochus.

Quî sic?

Mercator.

Dicit, quae ipsa res probat,
Reum damnatumque asserit; ita sentio.
Tu dicis, quae nec fiunt nec fieri queunt,
Reclamatque tuis dictis internus dolor.
Quin etiam ex potione tua et catapotiis
Monstrosus ventris tantum succrevit tumor,
Superciliaque (frustra vereor) se erigunt.

Parochus.

Unum restat sacrum, quo accepto non reor
Te peccatis ultra pressum iri.

Mercator.

Quid sacri est?

Parochus.

Extrema a patribus nominatur unctio,
Qua sancto infirmi unguntur oleo in criminum
Remissionem.

Mercator.

Scio iam, quale sit sacrum.
Sed eo nihil mihi est opus.

Parochus.

Hem, quid audio?
Spernis sacrum hoc?

Mercator.

Non equidem sperno, sed mihi
Iam nullus huius usus est.

Parochus.

Quamobrem ais?

Mercator.

Ad iudicium vocatus sum, vir optime,

Non in palaestram. Quare causidicus mihi
Potius quam aliptes conquirendus est.

Parochus.

Parum
Abest, quin de haeresi mihi suspectus sies.

Mercator.

Ut res est, loquor. Animae certamen imminet,
Non corporis. Quamobrem inungi nil moror.

Parochus.

Cave sis, ut malis te opinionibus
[E 6 b] Commacules, cum et alioqui res tua vermibus
Scateat!

Mercator.

Istuc meis iam rogo doloribus
Dones. Verbo si quid consolatorio
Scripturisve potes, profer; audiam lubens,
Dolor ut vel leniatur, si tolli nequit.

Parochus.

Dicenda quae sunt, omnia iam dixi tibi,
Nec mirari satis possum, quae causa sit,
Cur circa te usque adeo nihil profecerim.
Consului (crede mihi) permultis hactenus,
Nec est inventus, dicta qui refelleret
Nec qui quereretur se per me instructum male.
Nescio, quid de te suspicer. Num criminis
Quid oblitus es fateri? Fac reminiscere,
Siquidem haud iuvat, nisi integra sit, confessio.
Vah, iam recordor. Peccatorum capita tu
Dumtaxat narrasti sine circumstantiis.
Scis ita factum?

Mercator.

Scio.

Parochus.

Quin tu ergo denuo
Adhibitis confiteris circumstantiis?

Mercator.

Non possum hercle meminisse circumstantias,
Quoties, aut ubi, quibuscum, quando, quomodo,
Ceterave, quae vos curiosi quaeritis.

Parochus.

Cura est non paenitenda, sine qua criminum
Plena haud potest remissio contingere.
Quare haud est mirum, si non absolutus es
Nec cordis excludi potuit angustia.

[E 6 a] **Mercator.**

Istuc ergo in causa est?

Parochus.

Omnino.

Mercator.

Quid igitur
Faciam?

Parochus.

Ut dixi: fatere circumstantias!

Mercator.

Quid, si non possum?

Parochus.

Non etiam absolvi potes.

Mercator.

Disperii oppido, quandoquidem ad impossibile mi
Salus redigitur.

Parochus.

Non animum despondeas!
Recordare!

Mercator.

Ah, quid agam? Memoria minuitur,
Tempus proximat ad praestitutum terminum.

Hem, quid, si quas requiris circumstantias
In scriptis videas?

Parochus.

Idem erit, ac si memoriter
Mihi sint recitatae.

Mercator.

Rursus in spem venio.
Age ergo a Satana postulato codicem!
Illinc amplius erue, si quid desideras!

Parochus.

Quem tu Satanam, quemve mihi narras codicem?

Mercator.

Rogas? Non tu vides Satanam hic in angulo?

Parochus.

Nunc tu quidem nugas garris aut somnias.

Mercator.

Non somnio, nec cum nugis mihi negotium est,
Sed certe Satanas illic sedet, et codicem
Erratorum meorum gestans omnium
Et exspectans animam, ut deferat ad inferos.

Parochus.

Deliras mehercle, Mercator, et inanibus
[E 6 b] Agitaris spectris.

Mercator.

Utinam sint inania,
Quae video! Sed quaeso te, num tu non vides?

Parochus.

Nisi te profecto neminem.

Mercator.

Nec, hactenus
Quae toties est locuta, Conscientiam
Vides?

Parochus.

Non.

Mercator.

Andivisti certe?

Parochus.

Etiam.

Mercator.

Haud secus
Et Satanas, quem non perspicis, adest, et etiam
Illum audivisti.

Parochus.

Audivi? Quid locutus est?

Mercator.

Nihil ille verborum, sed oppedit quater,
Propter quod factum me increpabas. Unde iam
Intellego te Satanam non vidisse. Sed
Obsecro, ab illo accipias volumen et legas,
Quas quaeris, circumstantias, mea in quibus
Suprema salus vertitur.

Parochus.

Omnino tu brevi ad
Insaniam me rediges, ut neque videam
Neque audiam. Aufer nugas et ludibria! Dic
Verum: nunquid adest ille?

Mercator.

Adest verissime.
Sanctissimum, si vis, iusiurandum dabo.

Parochus.

Ubinam?

Mercator.

In illo angulo, nos salse perpetim
Deridens.

Parochus.

Et peccatorum tuorum habet
Scriptum volumen?

Mercator.

Habet. Sed vereor, ne tibi
Illud non traditurus sit.

Parochus.

Si vere adest
Volumenque habet, ultro si non vult, (me vide)
Cogetur dare per vim.

Mercator.

O si! Tum facile etiam
[E 7 a] Scripta invito delere posses omnia.

Parochus.

Illuc rem deducam.

Mercator.

Sed unde hanc vim tibi?

Parochus.

Ne sis sollicitus! Huc, aeditue, adferto aquam
Et ramos aliquot consecratos arborum
Adurito et suffitum facito celeriter!
Recte. Iam nunc aquam in hunc aspergito angulum!

Satanas.

Pappax!

Mercator.

Audis adesse?

Parochus.

Vah, totus horreo.
Quin tu aspergis iterum?

Satanas.

Pappax!

Parochus.

Et tertium
Asperge!

Satanas.

Papapappax!

Parochus.

Magnum certe hoc malum est.
Te etiam ludos facit et habet despectui.
Mihi aspergillum cedo!

Satanas.

Pappax!

Parochus.

Num et mihi,
Maledicte, audes, oppedere? Ecce istuc tibi!

Satanas.

Pappax!

Mercator.

Et te, quod video, non magni facit.

Parochus.

Ferox est iam, sed sentiet, qui vir siem.
Hem Satana, cur non hinc facessis ad inferos?

Satanas.

Pappax!

Parochus.

Ut te fodiant corvi a torrentibus
Cum istoc tuo Pappax! Quid velit, intellego.
Exorcismis opus est.

Mercator.

Age age, quidquid potes!

Parochus.

Exorcizo te, Satana, ut mihi respondeas.

Satanas.

Pappax!

Parochus.

Ecquod ius hic tibi aut negotium est?

[E 7 b]

Satanas.

Pappax!

Parochus.

Hunc a peccatis mundum esse assero.

Satanas.

Pappax!

Parochus.

Negas? Cur tu ergo non mihi codicem
Tradis, ut absolvatur etiam apud te, sicuti
Iam dudum est absolutus apud superos bonis
Ex operibus et Sanctissimi diplomatis?

Satanas.

Pappax!

Parochus.

Exorcizo te, ut abeas codice
Mihi relicto.

Satanas.

Pappax!

Parochus.

Num vis viderier
Adversus exorcismos esse contumax?

Satanas.

Pappax!

Parochus.

Semper multumque Pappax. Heus cito,
Aeditue, omnem nostram cape supellectilem,
Ut abeamus! Nunquam me memini aliquem magis
Vidisse perditum, atque hic Mercator est,
Apud quem furiae cunctique cacodaemones

Totos tam cervicose desident dies,
Ut sacris nec rebus nec verbis pareant.

Mercator.

Heus, Paroche, quid agis? Tune vir es eiusmodi,
Qui ῥιψασπίς sit propter ventris tonitrua?
Mane, obsecro!

Parochus.

Temet curato! Iam vale!

Mercator.

Ne me relinquas ante peractam fabulam!

Parochus.

Peragat alius; nullum est mihi hic vadimonium.

[E 8 a] **Mercator.**

Ubi est nunc, qui promittebat se suam animam
Pro me daturum pignori?

Parochus.

Certissima
Satanae praeda es propter peccata plurima.
Is te obfirmato hercule praestolatur animo.

Mercator.

Et hanc mihi consolationem praedicas?

Parochus.

Etiam. Vale! Tu perge; quid cessas? Sequar.

Mercator.

Abi, ut fractis cruribus in crastinum simul
Ad inferos descendas! Iam iam funditus
Interii. O me ter et quater miserrimum,
Cui in cunctis auxilii nil est hominibus!
Satanas observat, vexat Conscientia.
Tantum superest, locum ut mihi quaeram apud inferos.

Satanas.

Recte profecto haec orditur tibi cantio.
Ecquid nunc speras? Ecqua alia praesidia habes?
Me bellatorem strenuum, qui podice
Ductores, in quos sperabas, devicerim!
Sed quando abierunt, et me abire tempus est.
Tu hunc interea exerceto et servato probe,
Ne quis callidus e manibus eum eximat meis!
Audis, quae dico?

Conscientia.

Audio.

Satanas.

Curato ergo! Statim
Ego perfectis, quae restant, revortar huc.

CHORUS.

[E 8 b] Ille ter prorsus miser est quaterque,
Cui salus et spes tenues in auras
Cedit edocto male sana tantum
Dogmata Papae.

*

Is suis stulte meritis superbit,
Immemor casus veteris Gigantum,
Se sua credens probitate caelum
Scandere posse.

*

Tendit huc vires animique totos
Impetus, per se ut placeat satisque
Legibus cunctis faciat nihilque
Viribus obstet.

*

Si videt nondum satis esse factum,
Mox novos cultus operumque vanas
Cogitat formas, quibus absque verbo
Diluat iram,

*

Quaerit et nummis opibusque frustra

Debitas pravis superare poenas
Et velut iustus nihil extimere
Iudicis iram.

*

Sole sed postquam tenebris remotis
Cernitur rectum simul atque pravum,
Tum tumor fictus speciesque recti
Solvitur omnis.

*

Et gravis tantum manet ira iusti
[F 1 a] Iudicis, qui non operum movetur
Cautus aspectu, positae sed urget
Intima legis,

*

Quo licet nullis penetrare factis.
Congrui cedit celebrisque falsi
Fama condigni, pereuntque, quos non
Gratia servat.

*

Iussa si legis faceremus atque
In Dei verbo stabilis fore mens,
Nec tamen nostris sequeretur ulla
Gloria factis.

*

Iam reos cum lex agat universos
Inque diversum caro flectat haerens,
Nullus ex factis aliis salutem
Adfore speret.

*

Christus est finis positus salutis
Solus et legis colophon fideli,
Absque quo non hoc bene facta prosunt
Totius orbis.

ACTUS III. SCAENA I.

Christus. Paulus.

Christus.

In terras tibi erit eundum, Paule. Accingere!

Paulus.

Quamobrem?

Christus.

Dicam. Mercator quidam inferis
[F 1 b] Propinquat peccatorum pressus pondere;
Illum decretum est revocare, ut caelestibus
Iungatur potius. Oportet ergo eum instrui,
Dum in vivis est, et sana doctrina et fide.
Queratur Satanas nequam, vim fieri sibi,
Ut, quod iustum est, iuste exsequatur scilicet.

Paulus.

Rectum istuc. Sed quid illuc me mitti est opus,
Quasi non regnet doctorum ubique copia
Nihilque vigilent aut curent Episcopi?

Christus.

Episcopi opes curant, equos, scorta et canes;
Cum doctrina nullum illis est commercium.
At doctorum ora quaestum sapiunt omnium;
Quos nugatores quam doctores verius
Dicas: ita Papatus pervertit omnia.

Paulus.

Hem Papatus, quod istuc animantis genus?

Christus.

Sedes est Antichristi et Babylonis γόνος.
Ab huius doctoribus et ille doctus est,
Nimirum quo sollertius petat inferos
Secumque ad iudicium humanas sordes ferat.
Opus est ergo, ut aliter instituatur, si modo
Dignus (ut in fatis est) nostro consortio
Sit habendus. Quare abi et, ut nosti, illum perdoce!

Paulus.

Magnum, magister, est negotium malis
Per omnem aetatem imbutos doctrinis et in
Paternis usque inveteratos vestigiis
[F 2 a] Persuadere, ut dediscant funditus omnia et
Doctrinis aures praebeant melioribus.

Christus.

Scio. Quare meo illum afflabo spiritu,
Ne aut desperet doctrinamve tuam respuat.

Paulus.

Oportet prorsus. Nam istoc aiunt tempore
σκληροτραχηλόν quoddam vivere hominum genus.

Christus.

Ita est. Sed abi!

Paulus.

Solusne?

Christus.

Ut vis. Aut si lubet,
Cosmas medicus te comitetur!

Paulus.

Suades probe.
Is perquam utilis erit ad ministerium mihi.
Vah, quod fere oblitus eram: ubi habitat ille, quem
Ais, Mercator, ne errandum sit hospiti?

Christus.

Accede huc! Amplam illam in foro illoc num vides
Domum?

Paulus.

Nondum.

Christus.

Indicem observa! Certe ostium
Illud miniatum et apertum perspicis?

Paulus.

Etiam,
Num illic habet?

Christus.

Tenes. Propera; nox imminet.

ACTUS III. SCAENA II.

Mercator. Conscientia.

Mercator.

Nae prorsus (intellego) meum in caput infima
Et summa coniurarunt, cui nihil est spei,
Nihil auxilii, nil praesidii, nil remedii,
Nihil salutis in creatis omnibus.
Opinione citius terris avocor,
[F 2 b] Opes relinquunt, compedibus vinctum est Lucrum.
Medici vitam desperarunt meam. Interim
Corpus peste uritur, animus horret iudicem.
Peccata gravant, divexat Conscientia,
Satanas oppedit me rapturus ad inferos,
Peccatorum meorum vincens codice.
Sentio profecto, quid sit esse perditum et
Descendere ad inferos et peccatis premi.
Parochus relicto me sub cultro perfidus
Fugit, dum se nil adversus cacodaemonem.
Perspexit posse. Quo me vertam, nescio.
Quem implorem? Suppetiae unde aut praesidia mihi?
Certe video desperandum esse fortiter
Nec hianti ore salutem quaerendam a perdito.
At papae, quam lenis me afflavit spiritus,
Revocor ex inferis, spesque redit denuo,
Et excitatur animus ad orandum Deum.
Ad illum me convertam, quandoquidem mihi
Omnes creaturae negaverunt opem.
Hem, ut hactenus nunquam Dei fui memor!
Certe sentio Dei me afflari spiritu.
Sed quid ad hoc tandem dicis, Conscientia?
Num et a Deo nil esse auxilii dicere
Audes?

Conscientia.

Quî dicam, cum ille possit omnia?

Mercator.

Salvabor igitur?

Conscientia.

Non contradico, velit

[F 3 a] Modo.

Mercator.

Credo velle. Nam me iussit spiritus
Sperare. Peccatoris mortem haud vult Deus.

Conscientia.

Mutesco. Te salvo salvabor et una ego.

Mercator.

Praestolabor proinde omnipotentis manum.

ACTUS III. SCAENA III.

Cosmas. Paulus.

Cosmas.

Iussitne magister?

Paulus.

Iussit. Quoties vis tibi
Dici? Accipe pyxides et alexipharmaca!
Albi praesertim hellebori tres sume uncias!

Cosmas.

Cui rei tantum?

Paulus.

Praestat superesse quam
Deesse.

Cosmas.

Scio.

Paulus.

Age ergo, ocius ut eamus hinc!

ACTUS III. SCAENA IV.

Mercator. Paulus. Cosmas. Conscientia.

Mercator.

Satanas abiit, quiescit Conscientia,
Nec quisquam est, qui me peccatorum commonet,

Potio catapotiaque partes agunt suas.
Supercilia eriguntur et ante oculos mihi
Ingens bonorum operum obversatur copia,
Propter quae etiam me afflatum spiritu autumo;
[F 5 b] Siquidem opera bona magni habentur ponderis
Apud Deum, nec pastor docuit perperam.

Paulus.

Hae sunt aedes, nisi forte intellexi male.
Ingrediamur; patent fores.

Cosmas.

I prae; sequar.

Mercator.

Dictum Planudis esse verum cerno: τὸ
εὖ ποιεῖν ἀγαθῶν ἐστὶ πλῆρες ἐλπίδων.
Sed heu, vultu me tristi Conscientia
Iterum aspicit et Satanae recordor codicis.
At aliquis ingreditur.

Paulus.

Salve, Mercator!

Mercator.

O
Si possim! Sed qui estis, quidque adfertis novi?

Paulus.

Qui simus, postea scies; iam hoc accipe,
Ad te peccatis atque pestilentibus
Doctrinis pressum et irretitum venimus
A Christo missi, qui est dignatus perditum
Te respicere.

Mercator.

Propter bona fortassis opera?

Paulus.

Audis, Cosma, quonam iste teneatur malo?

Cosmas.

Satis quidem dictum est intellegentibus.

Paulus.

Nequaquam, Mercator; neque istuc sentias.
Gratuito te favore ille atque gratia
Respexit, quibus etiam in illo ipso scilicet
Mundi ante constitutionem electus es.
Sed hoc agamus. Quia respexit te, adsumus,
Ut cura et doctrina sana imbutus iter ad
Caelum et caelestium teneas consortium.

[F 4 a] **Mercator.**

Id percupio.

Paulus.

Primum autem istuc scire volumus,
An intellectum nobis captivum dare
Velis tuum et nostro parere iussui.

Mercator.

Quia a Christo vos advenire dicitis,
Non intellectum tantummodo vobis meum,
Interna sed et externa vobis omnia
Permitto. Curate et docete quodlibet,
Ut peccatorum me exoneretis sarcina,
Quibus crucior et divexor miserrime
Et a Satana simul et a Conscientia,
Ut non longe absim ab inferorum faucibus!
Quidquid dixeritis, strenue parebitur.

Paulus.

Hunc animum etiam caelestis tibi dedit pater.
Neque talem hominum superba tulerunt germina
Neque alioqui morbus, quo te animadvertimus
Teneri, in hanc deducit te sententiam.
Quia ergo Christo et nobis te tuaque omnia
Permittis, tibi iam iam consultum credito.
Age primum, quid doleat et quid molestiae

Sustineas, nobis diligenter explices,
Unde sciamus, quo sanari possis modo!

Mercator.

Affligor peccatis et iam alterum pedem
In cymba habeo Charontis et me perditum
Agnosco.

Paulus.

Primum sanitatis obtines
[F 4 b] Gradum, cum peccatis te agnoscis perditum.
Sed habesne aliquid interni atque latentis mali,
Quod nostrae curae atque operae adversari queat?

Mercator.

Nil, quod sciam.

Paulus.

Scrutare iterum atque iterum!

Mercator.

Nihil,
Quod sentiam, nisi quod sum semiperditus.

Paulus.

Cur tollis dimidium neque prorsus perditum
Fateris, quod tamen fatebare antea?

Mercator.

Terrebar peccatorum multitudine
Prius. Nam peccata quoties considero,
Infitiari haud queo, me plane esse perditum.
Cum autem occurrit, quod iussus sum sperare, tum in
Memoriam extemplo bona veniunt opera mihi,
Ex quibus omnino me periisse haud dicere
Ausim. Quippe Deus illa cum respexerit,
Cur non mihi profutura credam plurimum
Et ad salutem et promerendam gratiam?

Paulus.

Ille ipse morbus est, quo te animadvertimus,
Simulatque sumus ingressi, occulte deprimi.

Mercator.

Quonam?

Paulus.

Latentis aliquid monstri confoves,
Et nescio qua tumes operum fiducia.

Mercator.

Si istuc est morbus, morbus est levissimus.

Paulus.

Immo (ne erres) gravissimus.

Mercator.

Nihil tamen
[F 5 a] Sentio.

Paulus.

Eo res in maiori est discrimine.
Leniter et tacite serpit hoc malum, quoad
Concretum et roboratum corpus et animam
Perdit tandem.

Mercator.

Itane?

Paulus.

Nil est exploratius.
Accede, Cosma, et (ut scis) tactu arterias
Explora!

Cosmas.

Hem, nullus inest vitalis spiritus.

Paulus.

Quid ais?

Cosmas.

Rem ipsam. Vix nunc tandem lentissimus
Sentitur pulsus.

Paul.

Propera ergo, quantum potes!

Cosmas.

Servastine urinam, ut de morbo certius
Possimus iudicare?

Mercator.

Non.

Cosmas.

At iam cito
In vas quoddam vitreum cape!

Mercator.

Siquidem ita opus est,
En hic habes.

Cosmas.

Deum inmortalem, quid mali
Video? Responde! Ecquam sumpsisti nuper ab
Indocto potionem?

Mercator.

Sumpsi. At qui dedit,
Pulchre sibi videbatur doctus.

Cosmas.

Res probat.
Num devorasti etiam catapotia?

Mercator.

Plurima.

Cosmas.

Cuius coloris erant?

Mercator.

A longe candida
Videbantur, sed qui propius inspexerat,
Recocta pice erant atriora.

Cosmas.

Intellego;

Urinae prorsus iudicium accedit tuum.
Ecquid tibi intestina dolent?

Mercator.

Non admodum.

Cosmas.

Rigent vero erigunturque supercilia?

Mercator.

Nae,
Ita ut vix oculos possim claudere.

Cosmas.

Ecce, quid
[F 5 b] Venter? Num intumuit?

Mercator.

Aliquantum.

Cosmas.

Sine, videam!
Hui, aliquantum hoc? Aut hodie eris puerpera aut
Rumpere medius. Hunc mihi tumorem inspice,
Paule!

Paulus.

Est profecto ingens. Quo pacto, perdite,
Tantum tibi libuit mali silentio
Tegere?

Mercator.

Quia nihil attulit molestiae,
Sed hoc tumore dolorem cordis vincere
Me posse speravi.

Paulus.

Quasi oleo incendium
Restinguere posse speres. Dic verum! Malis
Hic ortus est tumor persuasionibus?

Mercator.

Immo optimis, quantum ego reor.

Paulus.

Num cordis hoc
Cruciatus minuitur?

Mercator.

Etiam. Conscientia
Tacente et absente Satana.

Paulus.

Praesente quid?

Mercator.

Non tanti facit istum tumorem, sed duplo
Eo me perditiorem asserit.

Paulus.

Haud fallitur.
Quid, si redeat?

Mercator.

Rapturus est ad inferos.
Cacodaemones ait obesis atque tumidis
Impense delectari.

Paulus.

Recte praedicat.
Nam iniquitati in caelis nullus est locus
Nec obesi augustam per portam ingredi queunt.
Quando igitur hoc tumore Satanae non potes
Resistere neque ullo pacto caelum ingredi,
Inprimis deponendus est, quo facilius
[F 6 a] Cordis dein dolores sedari queant.
Tu fac nobis in hoc aliisque obtemperes!

Mercator.

Libenter, siquidem ad salutem pertinet
Nihilque contradicit Conscientia.
Quid ais tu? Hunc volo tumorem iam deponere.

Conscientia.

Sapis. Nam eo, ut praedixi tibi antea,

Nil consequere aliud, quam ut celerius et facilius
Damnatus ad inferorum centrum permees.

Paulus.

Non solet haec rectis adversari suasibus,
Quantum quidem audio.

Mercator.

At prius nimis fuit
Incommoda et molesta, quasi ex industria
Cum Satana in interitum coniurasset meum.

Conscientia.

Ne nunc quidem quiescerem esse molesta, ni
Te tandem respici a Deo animadverterem.

Paulus.

Tace paulisper! Ante, Cosma, quam hunc ego
Sanis, ut est mandatum, instruo sermonibus,
Purgari placet, ut ventris subsidat tumor
Animusque ad sanam doctrinam fiat capax.

Cosmas.

Sic ordo rerum postulat. Sed vix tribus
Tantus tumor hellebori poterit tolli unciis.

Paulus.

Et tu nimium putabas.

Cosmas.

Num quid vini adest?

Mercator.

Istic apud te in cyatho.

Cosmas.

Heus puer, absynthii
Virentis clam duos adferto manipulos!

[F 6 b] **Paulus.**

Cui rei?

Cosmas.

Ut exprimatur sucus, quem simul
Cum helloboro sumet in vino.

Paulus.

Mirabilis
Haec temperatura est.

Cosmas.

Morbo mirabili
Quaerenda temperatura est mirabilis.

Paulus.

Intellego. Habes. Matura!

Cosmas.

Haud in me erit mora.
Hoc totum est ebibendum, Mercator, tibi, ut
Purgeris desinatque hic monstrosus tumor.

Mercator.

Herbis istaec potio mixta est Acheronticis,
Adeo dirus et acerbus exhalat odor. Haud
Potero bibere.

Cosmas.

Forti audendum est animo. Malo
Nodo malus (ut aiunt) cuneus quaerendus est.

Paulus.

Clausis, Mercator, uno haustu exsorbeto oclis
Euge audacter! Nunc ego virum te iudico.

Mercator.

Eheu, quanto in ventrem descendit murmure!

Paulus.

Iam nunc, Mercator, ambas aures arrige, ut
Sumptae vim potionis animo intellegas,
Ne corpus solum, sed et expurgetur animus
A perniciosis, quis laboras, sordibus

Conceptaque penitus operum fiducia.
Quae bona Deo placeant opera, lex perdocet,
Ut ea quivis scire valeat compendio,
Hominum ne ulla adferatur excusatio
[F 7 a] Placita se velle facere, sed nescire, quid
Aut quo pacto factum Deo placeat. Satis
In lege officia erga Deum atque proximum,
Etiam nostro corde ostenduntur iudice.
Quibus vetuit quidquam addi sive detrahi,
Scilicet accurate sunt ostensa omnia.

Porro, multis in legem homines peccant modis,
Primo quidem, quod legis altitudinem
Neque suam humilitatem humanus cernit animus,
Unde suis legem sperat posse viribus
Se implere caelumque digitis contingere.
Haec autem, si quae alia, est immensa caecitas,
Nec caecitas solum, sed et superbia,
Qua caro sibi divinam arrogat potentiam,
Infirmitatem nec propriam considerat.
Opinioni autem huic (ne me forsan putes
Fingere carnive immerito facere iniuriam)
Sanctorum auctoritas reclamat omnium,
Quis nemo sanus in hac re deroget fidem.
Et singulorum iam nunc testimonia
Recitarem, nisi brevitas obstaret temporis;
Etenim omnes ore in hoc uno consentiunt,
Quod peccatores sint nec fecerint satis
Carnalibus pressi oneribus legi Dei.
Quare iudicium deprecantur nec volunt
[F 7 b] Operibus freti cum Deo contendere,
Quin semet ipsos damnant atque iudicant,
Divinae ut gratiae relinquatur locus.
Si huius sunt sancti (ut constat) sententiae,
Alios sentire aliud summum est piaculum,
Quod falsa nec Deo ferenda gloria
Inflantur et caeli meritis fastigium
Superare seu condigne sive congrue
Se posse putant suisque fruuntur somniis.

Deinde consequitur et error pertinax
Quorundam, qui sibi videntur sanctuli;
Quandoquidem humanas tanti vires aestimant,
Ut legem implere possint, huc dementiae
Veniunt, quasi iustificatio suis operibus
Promereatur peccatorumque remissio
Ex meritis et propria iustitia pendeat.
Hinc multiplicant opera, praeceptis se et alios
Excogitatis propria onerant industria,
Relictis interim post terga legibus,
Quibus se debent occupare, qui Deo
Servire velint. Demum usu venit, ut, dum probe
Se iustificatos arbitrantur operibus
Aut lege, gehennae mancipentur ignibus.
Nam nulla ex lege, nullis ex meritis neque
Factis apud Deum iustificantur homines.
[F 8 a] Huius rei efficax est testimonium
Mors Christi, quae humanarum plenis tibiis
Declarat imbecillitatem virium.
Neque Dei lex istoc munere fungi potest,
Ut iustificet, cum semper homines arguat
Esse reos iraeque et maledictionibus
Obnoxios. Hoc est, quod Moses filios
Israel ad Iordanis usque terminos
Perduxit tantum nec Iordanem transiit
Nec terram promissam potuit attingere:
Sic damnantur nec vitae attingunt praemia
Nec iusti esse queunt, operum qui fiducia
Laborant et praeter leges norunt nihil,
Dei quo gratia impetrari posset.
Quamobrem, Mercator, si quibus unquam es malis
Imbutus opinionibus, actutum datae
Virtute potionis et verbi Dei
Radicitus evomas suadeo.

Mercator.

Iam nauseo
Hercule.

Paulus.

Stulte nimis et perverse sentiunt,
Qui, quod divinae legi eiusque operibus est
Negatum, id humanis affingunt somniis.

Mercator.

Porgite mihi pelvim, obsecro.

Paulus.

Abominabilis
Est Domino omnis virtutum humanarum tumor.

Mercator.

Dirumpor miser; adeo duae velut acies
In ventre concurrunt meo fortissime.
[F 8 b] Hem, vicit pars una et insequitur alteram.

Paulus.

Tene pelvim, Cosma; ego apprehendam sinciput.

Mercator.

Mooc

Paulus.

Vome audacter!

Mercator.

Mooc, Mooc!

Paulus.

Papae,
Quid video? Peregrinationes et preces,
Eleemosynas, ieiunia, indulgentias
Una evomuit.

Mercator.

Oh oh, gulam mihi pervelim
Dari ampliorem. Moc, Mooc!

Cosmas.

Digitos duos
Insere!

Mercator.

Moc!

Cosmas.

Ecce iam. Oh, quid istuc, obsecro?
Candelae magnae et plurimae, diplomata,
Vestes sacrae, toti calices et integra
Altaria prodeunt, et bini calcei
Duplicatis soleis.

Paulus.

Hem, quid hominis es? Papae!
Quî ita saburratus iter ad caelos ingredi
Te posse putasti?

Cosmas.

Mirum hercule spectaculum!
Sed quid sibi, Mercator, voluere calcei?

Mercator.

Ad templa frequenter eundo illos attriveram,
Cuius rei volui exstare testimonium.

Paulus.

Quam diligentes sunt iam mortales suis
In factis ponderandis, quasi non centies
Malorum numerus superet benefacta omnia!

Mercator.

Vae misero mihi; dispereo totus. Moc, mooc!
Heu, stomachi fundamentum plane invertitur.

[G 1 a] **Paulus.**

Confide!

Mercator.

Mooc!

Cosmas.

Vah, quam in fundo atque in intimis
Habitarunt istaec! Missae sunt et vigiliae,
Psalteria et patronorum fiducia.

Mercator.

Mooc!

Cosmas.

Quid istuc, Paule, quod geniminibus
Viperarum simile prodit?

Paulus.

Sunt tam aliena quam
Propria merita.

Cosmas.

Deum immortalem, Paule, quae
Tanta hominum est dementia, tam frivola ut vorent
Aut comminiscantur?

Paulus.

Satanae plantaria
Et Antichristi, Cosma, doctrinam vides,
Quam iam universis ferme insevit cordibus.
Quid ais, Mercator? Ecquid sentis reliquum,
Quod non evomueris?

Mercator.

Nihil, nisi viscera
Etiam evomenda sunt.

Paulus.

Viscera curet alius.
Nobis adversus Antichristi dogmata
Adeoque perversam contra fiduciam
Negotium est.

Mercator.

Nullo laboro dogmate,
Hei misero venter inanitate murmurat.

Paulus.

Ne timeas Heus Cosma! Ventrem arbitror satis
Iam purgatum. Cunctus enim subsedit tumor,
Sed adhuc trucibus et elatis oculis manet.

Cosmas.

Verum est.

Paulus.

Quare mihi purgandum etiam caput
Cerebrumque videtur. Ergo, ut scis, nasturcio aut
[G 1 b] Alio quodam medicamine fac ut sternuat!

Cosmas.

Istud non magnam postulat scientiam.
Mox fecero. Admove nares, et spiritum
Attrahe! Recte. Hoc modo una et pectus et caput
Purgabuntur. Oculos claude atque sinciput
Manu altera tene! Hui, quam fortiter!

Mercator.

Hei mihi
Cerebrum exquassatur!

Cosmas.

Iam nunc arte e naribus
Mucum emunge! Ohe, multas meritorum et operum
Bonorum emunxit opiniones.

Paulus.

Optime est.
Sciebam prorsus aliquid in cerebro mali
Residere. Supercilia resecato forpice!
Sic satis. Oculi iam atque supercilia recte habent.

Mercator.

Me miserum! Ut tenuis atque exsucus, et nihil
Quam syphar hominis vestra sum factus opera!
Ne cerebrum me quidem iam habere iudico,
Neque quidquam humanarum in me restat virium;
Adeo me elumbem constituit purgatio.
Iam, iam profecto per foramen acus iter
Si mihi sit agendum, facillime confecero.

Paulus.

Ad caelum ituros tales esse convenit.

Sed age dic mihi, quid nunc de te verissime
Dicere habes?

Mercator.

Id, quod dici; sed nec mentiar,
Si me omnium, qui vivunt, perditissimum
Dixero.

Paulus.

Recte. Ecqua praesidia salutis aut
In temet ipso aut in creatis omnibus
[G 2 a] Nosti?

Mercator.

Nulla. Sed adversantur mihi omnia.

Paulus.

Si igitur tibi contingat salus, num e gratia
Dices aut ex meritis tuis contingere?

Mercator.

Ex gratia prorsus.

Paulus.

Quid ex meritis tibi
Deberi ais?

Mercator.

Ut non unus me Cerberus
Devoret.

Paulus.

At iustitias tuas quanti aestimas?

Mercator.

Ah tantidem, quanti stercus.

Paulus.

Iuste aestimas.
Nihil ergo gloriaris, sed te perditum
Plane agnoscis, etiam si haberes omnia
Monachorum et totius mundi opera atque merita?

Mercator.

Eo magis essem perditus.

Paulus.

Hinc te colligo
Ab humanis plane expurgatum sordibus
Et esse divinae capacem gratiae.
Vis liber esse a peccatis et consequi
Salutem?

Mercator.

Volo.

Paulus.

Vis expeditam ad hoc viam?

Mercator.

Volo.

Paulus.

Crede ergo in Iesum Christum, et salvabere.

Mercator.

Quid de illo credam?

Paulus.

Quod pro peccatis tuis
Sid mortuus et resurrexerit, ut innocens
Et iustus habereris coram Deo. Is tua
Iustitia, sanctificatio et redemptio est.

Mercator.

Numquid tu his contradicis, Conscientia?

Conscientia.

Quis divinis contradicat sermonibus?
Quin et peccatorum obliviscor omnium.

Mercator.

Sed Satanae codex mihi molestus est nimis.

Paulus.

Mortem Iesu Christi Satanae furoribus
[G 2 b] Et peccatis magna opponas fiducia.
Nunquam poterit accusare electos Dei,
Quos Christi viderit conspersos sanguine.

Mercator.

His dictis (sentio) suffragatur spiritus,
Qui cordi illabitur meo et fiducia
Simul et amore erga caelestem implet patrem.

Paulus.

Istuc tene! Satis ad salutem instructus es.
Dei dumtaxat te commendes gratiae,
Ut perficiat, quod in te coepit, opus bonum.

Mercator.

O quantam conspicor salutis copiam!
Quam vultu me benigno respicit pater!
Quam et hilari vultu me iam Conscientia
Aspicit!

Paulus.

Istaec credentis animi indicia sunt,
Proinde perge! Satis in Christo dives es,
Satis iustus satisque tutus ab inferis.
Quia igitur istaec te credere cognoscimus,
Effecimus id, cuius sumus ad te gratia
Missi.

Mercator.

Credo Christum iustitiam omnem meam
Esse, eiusque opera me a peccatis liberum.
At vobis merito magnas habeo gratias,
Quod et istud me docuistis et a prioribus
Pravis doctrinis animum expurgastis meum,
Quibus me oneratum et inflatum semper tamen
Propter peccata momordit Conscientia.
Ea nunc quiescit neque me accusat ut prius,
[G 3 a] Divinae scilicet concedens gratiae.
Hac pacata, nihil etiam Satanae mihi
Formidabilis erit codex. In hac fide
Neque inferorum portas extimescam ego.

Paulus.

In unum Christum colloca fiduciam,
Quod contra omnia mala tibi erit alexipharmacum!

Nobis ad superos redeundum est, et interim
Etiam atque etiam cave, ne quis falllaciis
Hanc tibi fidei simplicitatem contaminet!

Mercator.

Meminero et faciam.

Paulus.

Nos abimus iam; vale!

Mercator.

Pergite feliciter! Iam tandem sentio,
Quid inter hominum commenta et verbum Dei
Intersit, et Dei quid possit gratia
In servandis hominibus, qui alioqui suis
Cunctis viribus ad inferos descenderent.
Redeat nunc Lyochares aut Satanae vel decem!
Animo securo et tranquillo moriar, satis
Sciens, Dei me servatum iri dextera.

CHORUS.

Quae tanta mundum vexat inertia,
Quousque tandem lumina perdidit,
Ut nesciat rectum atque pravum,
Nec bona nec mala rite cernat?

*

[G 3 b] Magnis requirit frivola sumptibus
Artesque cante discit inutiles
Et utiles post terga linquit,
Haud opibus totidem parandas.

*

Quid non agis pro corpore debili
Sanove? Qua non sollicitudine
Victus laborat comparandi,
Seque suosque fovens benigne?

*

Cur non eodem sollicitus modo est
Aut cur laboris cessat et ingeni
Vigor futura pro salute et
Praesidiis animae quietis?

*

Si artes quis omnes atque scientias
Perdiscat, istic vivet et ingeni
Fructus quidem carpet suaves,
Corporeos tamen et caducos.

*

Hoc iura quaerunt, hoc medici volunt,
Hoc rhetores, hoc artifices simul
Spectant, scopum omnes hunc labores
Terrigenûm inspiciant oportet.

*

Fiunt probe, nec dicimus amplius.
At nulla pax est cordibus impiis,
Nec doctus indoctusve saevi
Rumpere vincla potest tyranni.

*

Non rhetores non hoc medici docent,
[G 4 a] Non iurium sollertia multiplex,
Nec principis mundi furores
Grammatici moderare possunt:

*

Verum e supernis ni doceat pater
Christumque nobis spiritus inserat,
Frustra laborat mundus omnis
In superas penetrare sedes.

*

Constat. Tamen non pectora pandimus
Nec sustinemus scire, quid a patre
Demissus edoctusque narret
Filius, ille redemptor orbis.

*

Pars illius verbum exitiabili
Repellit ira et persequitur male
Sub haeresis nota, nihil qua
Sors tulerit magis expiandum.

*

At pars veterno turpiter incubant,
Sus deque censent, quid doceat Deus;
Si suppetit vini panisque
Copia, sat sibi sunt beati.

*

Pars magna quaedam scandala subserunt
Deique verbum in ludibriis habent,
Et ut sonet nunquam, se iniquo
Haud perhibent animo daturos.

*

Absque hoc tamen nil cetera proderunt.
Curae nihil, nil et sapientia
[G 4 b] Prodest, nec ullae artes dolique
Iudicis effugient ab ira.

*

Sic magna iuste pars hominum perit
Et sempiternis uritur ignibus.
Nam nescit et nescire verbum
Et manibus pedibusque curat.

ACTUS IV. SCAENA I.

Lyochares. Princeps. Episcopus. Franciscanus.

Lyochares.

Hui, ite, ite, properate! Iam olim oportuit
Iudicio adesse. Gressu vix testudinis
Inceditis. Haud unquam alios aeque repperi
Tardos. Num etiam post mortem vos podagra tenet?

Princeps.

Non, o bone. Num volare nos tot sarcinis
Onustos posse putas?

Lyochares.

Quae ergo dementia
Adegit tantam vos ferre supellectilem?

Episcopus.

Quasi nescias, nos ad iudicium pergere.

Lyochares.

Scio
Equidem istuc. Sed quid ad iudicium pertinet
Altaria, templa, sacella, monasteria, precum
Ingentes codices, cucullos et alia

Tam ridicula quam inania ferre, lentius
[G 6 a] Ut conficiatis iter?

Princeps.

Nae. tu imperitus es
Papisticae doctrinae.

Lyochares.

Qui sic?

Princeps.

Iudicem his
Placare volumus donis et corrumpere.

Lyochares.

Quid, iudicem?

Princeps.

Ita inquam.

Lyochares.

Facinus egregium hercule!

Episcopus.

Ita est, ut dicis.

Lyochares.

Si quidem potestis.

Princeps.

Oh,
Num istuc dubium est?

Lyochares.

Non vulgare profecto.

Princeps.

Quid ais?

Episcopus.

Equidem profecto si sapis, hunc non audies,
Quippe, ut videtur, non est theologus.

Franciscanus.

Neque,
Ut arbitror, Scotum aut Alexandrum de Ales
Aut Bonaventuram aut Angelum aut Thomam aut Capram
Aut illos, qui iam sunt doctrinae principes,
Emserum, Vitzelium, Coclear et Eccium,
καλούς τε κἀγαθοὺς, unquam trivit. Namque si
Secus esset, sciret certo causas ordine,
Ob quas talia salvandis huc ferenda sint.

Lyochares.

Vah, tu mihi videris sapere. Sed promove
Gradum, nisi mavis sustinere verbera!
Cum Satana disputato coram iudice.
Non memini, quando alios unquam citaverim
Aeque hydropicos et podagrosos, aut plura qui
Et grandiora ad iudicium gestaverint,
Quorumve ita maestae fuerint Conscientiae.
[G 5 b] Vos, ni fallor, peregregie peribitis.
Nam et obesi estis gravesque et Orco plurimum
Supellectilis adfertis. Quare ut fortius
Vos possidere laboret Satanas, nil opus.
Suapte enim natura ad centrum gravia se
Movent.

Episcopus.

Ne curato! Nil est periculi,
Nullius Satanae formidamus impetus.

Lyochares.

Macte excelso animo! Quid frustra stultus ego pro
Vobis timeo? Iam hoc me loci opperimini!
Divortar huc paulisper, mox revenero.

ACTUS IV. SCAENA II.

Princeps. Episcopus. Franciscanus.

Princeps.

Ille hinc abiit truculentus noster carnifex.
Ecquid animadvertistis, illum pendere
Nostrum apparatum parvi, immo nihili prope?

Episcopus.

Animadvertimus. Ad desperandum nos lubens
Suis dictis perduceret. Sed nihil agit.

Princeps.

Quin et convicia dixit perituris quasi.

Episcopus.

Deo nos acceptos fore non intellegit.

Franciscanus.

Hoc agit, in mundo quod sycophantae plurimi, ut
[G 6 a] Nos iurgiis a recte deiceret statu,
Utque maledicis dictis exterriti omnia
Relinqueremus impedimenta et sarcinas
Vacuique appareremus coram iudice et
Salutis omnem abiceremus fiduciam.

Princeps.

Mihi hercle commovit animum spemque minuit.

Episcopus.

Cave sodes, ut quid genio auscultes malo!

Franciscanus.

Cedo, quis te instruxit morituroque adfuit?

Princeps.

Tui ordinis Seraphici venerandus pater.
Is haec imposuit et his me iussit fidere
Gregaliumque suorum meritis et bonis
Operibus gravidum praegnantemque reddidit,
Ita ut perspicis.

Franciscanus.

Instructus es ad vitam satis.
Cave faxis, ut abicias temere quidpiam!
Nam et nos res ferimus ad iudicium eiusmodi et
Speramus nobis profuturas admodum.
Nam suprema haec Papatus est instructio.

Episcopus.

Suprema et optima est.

Princeps.

Videtur hercule,
Siquidem et meus instructor se aliam confessus est
Nescire armaturam, alioqui doctissimus.
Sed (amabo) quia sors nos coniunxit ad hoc iter
Idemque iudicium citati accedimus,
Nostrum unusquisque dicat, qua fiducia
Prae ceteris fretus confidat iudicem
Fore placatum. In quibusdam nos video pares,
[G 6 b] At rursus in quibusdam valde dispares.
Aeque tumemus omnes, aeque sarcina
In tergo est compacta et constricta fortiter
Nostrum unicuique. Meam mihi quidem mala
Imposuit, quae sequitur me, Conscientia..
Quo pacto et vestras vobis impositas reor,
Maestae quoque sunt nostrae omnes Conscientiae,
Similiter et terram intuentur cernuae.
Ceterum in armatura magna est diversitas.

Franciscanus.

Nihil est absurdum. Quid? Pictos in pariete
Nunquamne vidisti divos?

Princeps.

Saepissime.

Franciscanus.

Vidisti certe alium alio ornatum modo,
Petrum clavibus, Ioannem calice, libris

Augustinum, Paulum gladio, Laurentium
Craticula, lapidibus Stephanum, Dominicum
Lupo et face, quinque Franciscum vulneribus, ut
Interim equites totos cataphractos taceam. Ita
Etiam inter nos non miranda est diversitas.

Princeps.

Intellego. Sed meam vobis fiduciam
Iam exponam.

Episcopus.

Hic sumus. Expone!

Princeps.

Praeter bona opera,
Quae magna summa emi, et praeter sumptus, quibus
Templa et coenobia construxi, et praeter alia,
Quae magna spe suffarcinatus adfero,
Summa spes est in Pontificis diplomate,
[G 7 a] Quo mihi peccatorum omnium remissio
Etiam plumbo firmata est.

Episcopus.

Spem bonam obtines.
At mihi praeter cetera bicipiti in infula et
Empto bis quindecim aureorum milibus
In pallio spes est, et ea quidem optima.
Etenim haec me testabuntur ex caelestibus
Esse et non vulgari exornandum gloria.

Princeps.

Quia spei non adversaris meae, neque
Ego tuae adversabor. Per me ita pergas licet.
Cui tu, Franciscane, fidis maxime?

Franciscanus.

Ego? Me vobis praecursurum esse arbitror
Albis equis.

Episcopus.

Tu? Qua, quaeso, fiducia?

Franciscanus.

Religionis, paupertatis, castitatis et
Oboedientiae, iu quibus est perfectio;
Cucullo tamen istoc fido prae ceteris,
In quo impossibile est ut damnetur quispiam,
Ut a Deo promissum est Seraphico patri.

Princeps.

Papae! Tantane latet in vestitu sanctitas?

Franciscanus.

Prorsus. Neque hoc Coclear nec Eccius negant
Et si utilia suadenti inducitis animum
Obtemperare, faxo ut eisdem utamini
Mecum praesidiis.

Episcopus.

Cupimus, ut et pro isto loquar.

Franciscanus.

Inclinate ergo capita, ut vestis vos sacra
Obumbret! Sic satis. Iam nunc omnes simul
Eadem adversus Satanam spe pugnabimus.
[G 7 b] Hoc uno confirmastis vestra opera omnia,
Ut apud Deum quam plurimum valitura sint.

Episcopus.

Itane tandem?

Franciscanus.

Nihil est hoc certo certius.

Princeps.

At quis nostram in iudicio causam acturus est?

Franciscanus.

Quis nisi patroni, quos quisque ex divis habet?
Quos delegisti tibi?

Princeps.

Matrem ipsam iudicis
Et Ioannem Baptistam.

Franciscanus.

Insignes hercule
Et eos ipsos, qui utrimque assistent iudici,
Si qua modo habenda est hic fides pictoribus.

Episcopus.

At ego Petro me et mea commisi Apostolo.

Princeps.

Soline?

Episcopus.

Ita. Potens est in caeli curia
Ipsasque claves ad caeli portas habet,
Ut possit intromittere, quando et quem velit.

Franciscanus.

Ita etiam me Francisco soli credidi,
Qui pro me semper quinque gestat vulnera,
Quibus valet, quod divorum nemo valet.
Sed cur cessat redire Lyochares, ut hinc
Eamus ad merita et condigna gaudia?

Princeps.

Non video, cur nobis properandum etiam siet.
Cui pereundum est, satis mature deperit
Vel vesperi.

Franciscanus.

Quid hominis es? Si nos salus
Falleret, haud scio, quo non pacto omnes falleret.

ACTUS IV. SCAENA III.

Lyochares. Mercator.

[G 8 a] **Lyochares.**

Quid est, Mercator? Nondum a Francofordia
Rediisti?

Mercator.

Neque vero illuc ivi, neque adeo
Ire volo, nec in hoc nasus me fugit tuus.

Lyochares.

Eia. Quin tu ergo surgis? Nam tempus vocat,
Ut eamus.

Mercator.

Quin tu dicis mihi? Equidem haud moror.

Lyochares.

Iam dudum te comites exspectant.

Mercator.

Ecce haud moror.

Lyochares.

Age ergo ocius!

Mercator.

Ecce, inquam, me accinctum probe.
I prae, sequar.

Lyochares.

Quid agis? Itane ibis vacuus et
Absque supellectili?

Mercator.

Non vacuus, o bone.

Lyochares.

Sume ergo, quae sumpturus es!

Mercator.

Immo habeo omnia.

Lyochares.

Quaenam?

Mercator.

Bonum et tranquillum animum mecum fero, et
Fronte exporrecta una ibit Conscientia.
Cetera mortua suis relinquam mortuis.

Lyochares.

Rara avis es, et rara est istaec sapientia.
Quare ex facto hoc tuos comites mirabere.

Mercator.

Quid illi? Num alia quaedam secum deferunt?

Lyochares.

Plurima. Sed sequere!

Mercator.

Te vero sequor lubens.

ACTUS IV. SCAENA IV.

Franciscanus. Princeps. Episcopus. Lyochares. Mercator.

[G 8 b] **Franciscanus.**

Sed ecce redit Lyochares festino gradu,
Eumque aequis duo sequuntur passibus.

Episcopus.

Comites fortasse nostri ad iudicium.

Franciscanus.

Arbitror.

Princeps.

Vir est et mulier quaedam.

Franciscanus.

Conscientiam

Viri puto.

Princeps.

Si est, nostris ea Conscientiis
Dissimilis est.

Franciscanus.

Qua in re?

Princeps.

Rogas? Magnam arguit
Vultus serenitas dissimilitudinem.

Franciscanus.

Et nostrae erunt serenae, cum perspexerint
Nos omnia vicisse bonis operibus mala. Is
Falso ducitur aliquo fortasse gaudio,
Quod mox rediget iudicium ad maestitudinem.

Princeps.

Sed nonne videtis, quam ille sit exilis, citus
Vacuusque ab omni onere?

Franciscanus.

Subita praeventus est
(Ut opinor) morte aut vino aut in bello occidit,
Nihil unquam habens curansve habere operis boni.
Melior longe nostra est conditio.

Lyochares.

Illos vides
Tuos comites.

Mercator.

Papae, Lyochares, dives et
Tumidum sodalitium. Sed Conscientiae
Illorum vah quam nutant astantque taetrice!

Lyochares.

Quid nunc agitur?

Episcopus.

Exspectatur.

Lyochares.

Numquid placet?
Adduco vobis comitem.

Episcopus.

Immo hercle perplacet.

Mercator.

Salvete!

Franciscanus.

Nos quidem salvi recte sumus.
[H 1 a] Tu ut salvus sis, non etiam curasti probe.

Mercator.

Qui sic?

Franciscanus.

Cur non tumes? Cur nil operis boni
Ad iudicium adfers?

Mercator.

Immo vero, plurima
Adfero.

Episcopus.

Nimirum, qui es nuce cassa cassior.

Mercator.

Nemo prudens thesaurum in propatulo gerit
Inque via praesertim obsessa a latronibus.

Franciscanus.

Loqueris forsan hic nobis sententias?
Vae tibi!

Mercator.

Vae vobis hisceque vestris sarcinis!

Princeps.

Mittite male ominari! Dic tu, quaeso, cur
Ita vacuus advenias et cur alio modo
Atque omnes alii et quam nos instructus sies!

Lyochares.

Nihilominus et inter loquendum pergite!
Iam dudum, scio, iudex tribunal occupat.
Vobis dico mulis Marianis, pergite!
Vos tonsi praecedite, nisi vultis verticem
Actutum hac vobis virga prorsus deglubi.

Episcopus.

Ne saevi, quaesumus! Pergemus strenue.

Princeps.

Heus tu, quisquis es, ad me concede paululum
Tenuitatisque tuae mihi edissere modum!

Mercator.

Fui ego ita ut vos tumore insigni praeditus,
Constrictaque erat huc perferenda sarcina
Ex variis et meritis et operibus bonis,
Quae multum in iudicio mihi essent usui.
Sed nescio quo fato, Conscientiam
[H 1 b] Molestam sum sortitus ac incommodam,
Quae omni reclamavit meae fiduciae,
Donec spem omnem mihi ademit cum pulvisculo.

Lyochares.

Procedite, inquam!

Princeps.

Quid? Nullam illa sarcinam
Tibi imposuit, ut nobis impositas vides?

Mercator.

Ingentem prorsus, qua me pressit ad inferos.
Sperare nec ullo potui pacto gratiam
Et iam iam Satanae ultro me volui addicere;
Sed ecce caelesti sum afflatus numine.

Episcopus.

Genio aliquo fortasse malo.

Franciscanus.

Ita, ut praedicas.

Princeps.

Tacete, obsecro.

Mercator.

Statim aderat Paulus cum optimo
Quodam medico, id quod ex eventu colligo.

Princeps.

Quis ille Paulus?

Mercator.

Apostolus. Ille funditus
Omnem helleboro mihi tumorem depulit.

Princeps.

Quid ais?

Mercator.

Evomuiqae opera magni ponderis.

Princeps.

Apage! Haud places, qui bona opera evomueris.

Franciscanus.

Hunc

Quod audias, te vehementer miror.

Princeps.

Nihil

Periculi est.

Franciscanus.

An etiam nondum intellegis
Haereticum esse?

Princeps.

Satis.

Episcopus.

Mirum, ni exustus fuit.

Princeps.

Quid postea?

Mercator.

Omnes sunt ablatae sarcinae
Et anteriores et posteriores simul.
[H 2 a] Et maiorem in modum exhilarata est tum mea,
Quae pone sequitur, Conscientia.

Princeps.

Quo id modo?

Mercator.

Unius concepta Christi fiducia.

Episcopus.

Haereticus te aliquis misere decepit, mi homo.

Mercator.

An deceptus sim, nescio; pacem me quidem
Sentio adeptum cunctis abiectis operibus
Sola fide.

Franciscanus.

Hem, sola fide?

Mercator.

Ita inquam.

Franciscanus.

In pessimum
Ruisti dogma haereticorum haereticissime.
Si Paulus istuc te docuit, prorsus fuit
Papisticae imperitus sanctimoniae.
Quin si hoc perget docere passim, mox sacro
Romanae sedis percutietur fulmine.

Mercator.

At bruta nihil ille extimescit fulmina.

Lyochares.

Pergite, quoties vobis dicendum est? Pergite!

Episcopus.

Miror, quînam Paulus tandem revixerit,
Cuius iam olim doctores nostri et episcopi et
Nomen et antiquata ignorarunt dogmata.
Nullumque (quod sciam) in Romana curia
Locum obtinuit.

Franciscanus.

Demiror te isti credere,
Qui aut cerdo fuit aut, quod credo magis, carnifex.
Aut quid refert, si iam revixit maxime?
Non Christianorum est doctor, sed gentium.
Vivat Cocleare et Vicelius et ceteri,
Quos iam sors Christianis doctores dedit,
[H 2 b] Quosque audiendos de caelo intonuit pater.

Mercator.

Scilicet. At si tantum armaturae fiditis
Vestrae, cur non erigitis Conscientias,
Minutos terrae etiam observantes calculos?

Franciscanus.

Dicam. Fidimus eadem opera et diffidimus;
Nescit enim homo, utrum sit dignus amore vel odio.
Ita nos armatura nostra fortes sumus,
Et interim sunt macstae Conscientiae.

Mercator.

Mirum prorsus negotium.

Franciscanus.

Quamvis bene
Speremus propter opera nostra plurima,
Tamen iudicii illae formidant exitum,
Qui semper est incertus.

Mercator.

At mihi certus est.

Franciscanus.

Credo hercle. Nam certissime damnaberis.

Lyochares.

Coram iudice, si quid lubet, contendite!
Nunc iter agendum est. Ecce, cucullate, hoc tibi.
Nolo te frustra hic instituisse academiam.

ACTUS IV. SCAENA V.

Satanas. Franciscanus. Episcopus. Lyochares. Princeps. Mercator.

Satanas.

Male perdat Deus istos sophistas impios,
Quibus die hodierna mane a summo statim
Ad hoc usque diei vocatam operam dedi!
[H 3 a] Adeo nihil sine me volunt concludere
Neque in minimis rebus neque etiam in maximis,
Ideo fortassis, ut, si res male cesserit,

Expediant se atque omnem in me culpam transferant.
Conentur! Ego mea facta tuebor approbe
Neque fatebor culpam, quam nunquam fecerim.
Cuius iussu, quaeso, aut instinctu ita hodie
Frequentes convenerunt? Quo referente tam
Atrocia inierunt contra verbum Dei
Consilia? Ego hercle meos inspexi codices
Tota nocte, ut quorundam scirem crimina,
Quibus hodie in iudicio adversari volo.
Ut ergo legi et annotavi crimina, e
Vestigio reos perrexi invisere,
Ne quis eos e manibus eriperet meis,
At medio in cursu me sophistarum vocat
Cohors, sibi ut adessem, magni interesse illud mea,
De quo consultando sit habenda contio.
Postquam veni, cognovi tandem, quid rei
Esset: conquesti sunt se evangelio premi
Nec ad exstirpandum quidquam se prioribus.
Consiliis proficere; quare se quid novi
Excogitasse aiebant, quod proponere
Vellent, meo ut etiam probarem calculo.
Ita auscultando ac decernendo congrua
[H 3 b] Tantum diei contrivimus. Unde metuo,
Ne aut iudicium neglexerim atque, nemine
Accusante et contradicente, iudicis
Meos videam absolutos iam sententia,
Aut recte docti in extremis resipuerint.
Verum faxo sciam tamen, quae gesta sint
Curriculo. Extemplo, si est, quod metuo, capitula
Sophistica spiritus exagitet vertiginis,
Quorum opera tantum mihi periit lucrum.
Euax! Res salvae sunt. Saltare collibet.
Nunc primum ecce venit Lyochares. Omnes probe
Instructos video et rite mea ex sententia.

Franciscanus.

Vae nobis, recta Satanas obviam venit.
Quo suades fugiamus, Lyochares?

Lyochares.

Quin ego
Ut procedatis suadeo, nisi verbera
Mavultis accipere, quae prolixe dabo.
Non est iam fugiendi nec tempus nec locus.

Mercator.

Ubi est tuus Herculeus iam animus, ut bestiam hanc
Conficias et pro te et pro nobis omnibus?

Satanas.

Cur tam sero venitis, electi mei?
Lyochares, cur tam serus?

Lyochares.

Cum tot oneribus
Hos asinos non citius potui protrudere.

Satanas.

Credo. Hercle me brevi ditissimum fore
[H 4 a] Video, cum mihi tot cotidie accedant opes.
Sed ubi relictus est Mercator optimus?

Lyochares.

Eccum. Non agnoscis?

Satanas.

Non agnosco neque
Esse arbitror.

Lyochares.

Est, ut dixi, neque alius heri
Ullus mercator huc citatus est.

Satanas.

Age
Sophistarum iam iam aspicio vertiginem.
Nam istic certe e retibus ereptus est meis,
Dum alia agere habens illorum synodo interfui.
Neque tumet, neque quidquam fasciculorum gerit.
Ha ha sophistae, quam pulchre vobis lucrum hoc

Rependam! Vah stultus ego, illos qui audiverim!
At interim vos tres cito mecum pergite, ut
Acceptum in vobis detrimentum sarciam!

Franciscanus.

Apage a nobis in maximam malam crucem!

Satanas.

Vos quoque mecum, commilitones optimi!

Episcopus.

Quid vi trahis nos? An non, qui simus, vides?

Satanas.

Video hercle perspicue, vos esse Acheronticos
Et impiorum iungendos collegio.

Franciscanus.

Immo caelestibus. Quid vim nobis facis?

Satanas.

Quid multis opus? Huc, aio, mecum pergite!

Princeps.

Heu Lyochares, vi trahimur. Quin fieri inhibes?

Episcopus.

Heu, indicta causa corripimur ad inferos.
Ad iudicem caelestem provocamus.

Lyochares.

Heus
Satana, mitte, aequum postulant; tibi suadeo,
[H 4 b] Ne manibus ius tuum obtinere quaerites,
Sed exspectes iudicis et tu sententiam.

Satanas.

Quid in re aperta aut iudice aut iudicio opus?
Tam hosce meos esse nosti, quam quos maxime.

Lyochares.

Non infitias eo, sed isti pernegant.
Quamobrem ius decerni iure convenit.

Satanas.

An nescis: qui non credit, iudicatus est?

Lyochares.

Scio. Sed isti se arbitrantur credere.
Quod verumne an falsum sit, iuris arguet
Discussio, ut ne ipsi quidem possint queri,
Vim aut ullam denique sibi fieri iniuriam.
Quare vim cohibe et iudicium una accedito!

Satanas.

Huc ergo, si quid lubet. Ad iudicium etiam
Recte meditatus venio. Experiar hercle, an
Ita ventriosi totque onusti sarcinis
Caeli portam vel tandem possint ingredi.
Hoc sane pro vobis laborabo magis,
Quo estis habitiores. Neque tamen te neglegam,
Mercator, quamquam es quovis pumice siccior.
Quaeretur certe, quo mihi omnes vindicem, et
Sophisticum ne quid noceat negotium.

CHORUS.

Periculosum, frivolum ac inutile,
Quin et nihil damnosius,
Quam si suis audax opinionibus
[H 5 a] Quis fidit in rebus sacris
Mortaliumque ducitur prudentia
Innititurque erroribus
Aut spem fidemve fingit, aut bonum aut malum
Auctoritate principum
Papistica persuasus aut ecclesia,
Verbi Dei absque numine,
Nullum valens proferre testimonium ex
Apostolorum litteris!

Spei nec suae consentiunt oracula,
  Accepta sunt quae caelitus.
Falletur ille spe fideque protinus,
  Illusus et damnabitur.
Ceu qui cibum potumque sumit somnians
  Et excitatus esurit,
Sic ille spe gaudebit hic multum quidem,
  Quam non probabit exitus.
Beatus ille, quem Dei verbum docet
  Certoque ducit tramite.
Unde actiones profluunt omnes suae,
  Nec fallitur fiducia,
Et spem fidemque firma sustinet petra
  Non diruenda fluctibus,
Qualem Dei verbum esse nullus haesitat,
  Qui sit salutis particeps,
[H 5 b] Quod spes et acta firmat atque credita
  Cernenda praebet exitu.

ACTUS V. SCAENA I.

Christus. Petrus.

Christus.

Certe Satanas magnificum quid commentus est,
Dum Papatum finxit suisque negotiis
Praeposuit. Nihil enim Papatu audacius,
Nihil taetrius, nil fidei perniciosius,
Nihil arrogantius, nil pestilentius,
Nil cotidie Orco plura mittit funera
Aut bello aut doctrinis perdita deterrimis.
Egregium impietatis stabilimentum, novis
Quibusdam pietatem eradicans artibus.
Quotquot iam Christiano tecti pallio
Istuc veniunt, non fidunt misericordia aut
Favore meo, sed iudicio cum iudice
Contendere volunt, allegantes congrui
Aut condigni meritum, a monachis videlicet
Edocti, novorum nominum inventoribus.

Rarus meae adfert mortis huc fiduciam.
Ex quo Papatus colligitur industria,
Quam navat studiose inferorum principi.

Petrus.

Dispereat Papatus cum propter plurima,
Tum quod se praedicat sumpsisse originem
[H 6 a] Ex me. Malim autem produxisse Cerberum,
Quam tale magister adversans monstrum tibi.

Christus.

Non te accuso, nec partus est tuus, scio,
Huiusque olim poenas mendacii dabit.
Donemus interim, ut meo se vel tuo
Nomine, ne, qui sit, agnoscatur, protegat.
Tibi certe eius opera minuitur labor.
Nec atteruntur claves istoc tempore
Frequenti apertione, omnibus euntibus
Iustissima ad inferos trusis sententia.
Non gentes iam dumtaxat ut olim, sed et ii,
Qui Christiano censeri nomine volunt,
Scita me iudicii et processum nesciunt,
Quasi non denuntiaverim clarissime,
Non solum rationem hic reddendam esse omnibus,
Sed et quae sit satisfactio pro debitis.
Veniunt magnis quidem, sed nihili sarcinis
Et adulterino confisi numismate,
Quîs debita nec solvunt nec possunt solvere.

Petrus.

Demiror te Papatum posse perpeti
Ita diu in exterminum omnis rei sacrae
Et ut perfundat tenebris omne hominum genus.

Christus.

At si tenes, quae olim dixi, haud mirabere.
Quod nonnunquam diu permanet iniquitas,
Non est favor, sed potius indignatio.
[H 6 b] Sed ecce Lyochares vix tandem cum suis

Satana praecedente advenit. Quisque in suo
Sedeat loco, et causis horum animum advortite!
Tibi statera, Michaël, aptata sit probe.
Tibi, Paule, in promptu scriptae sint sententiae,
Ut pellegas, cum fuerit opus et iussero,

ACTUS V. SCAENA II.

Lyochares. Princeps. Episcopus. Franciscanus. Mercator.

Lyochares.

Ut dixi, iudex iam tribunal occupat,
Senatusque omnis in suis sedet thronis.

Princeps.

Heu vultu nos irato iudex aspicit.

Franciscanus.

Non nobis, sed huic haeretico iratus est,
Qui in extremis, ut ait, evomuit bona opera.

Mercator.

Haud paenitet evomuisse. Et exitus dein
Docebit, cuinam iudex iratus siet.

Franciscanus.

Tuam haud emerem salutem vitiosa nuce.

Lyochares.

Consistite in ordinem, et ut quisque vocatus erit, huc
Accedat et pro se Satanae respondeat!

Franciscanus.

Miror Franciscum non adesse, cui meam
Commisi causam omnem. Hem deinceps, qui volet,
[H 7 a] Se divorum commendet cuiquam.

Princeps.

Ego mihi
Meos patronos arbitrabar in via
Occursuros, at ubi sint, neutrum conspicor.

Episcopus.

Meus illic sedet inter assessores, parum
De me, ut videtur, sollicitus.

Franciscanus.

Certum est tamen
Franciscum, ubi ubi etiam sit, advocarier,
Ut adsit. Itane me in iudicio deserat?

ACTUS V. SCAENA III.

Lyochares. Christus. Paulus. Satanas. Michael
Princeps. Episcopus. Franciscanus. Mercator.

Lyochares.

Metuende iudex, adduxi hosce quattuor,
Quos iussus sum. Quod vero veni tardius,
Non mihi, sed illorum imputato sarcinis!

Christus.

Recte. Iubeto nunc fieri silentium!

Lyochares.

Audite, silete et dicendi date copiam!

Christus.

Lege, Paule, decretum patris, quantum potes
Clare!

Paulus.

Ego dominus Zebaoth et rerum conditor
Volo hominibus notum esse omnibus et singulis,
Quia primus homo transgresso, quod praeceperam,
[H 7 b] Mandato, non se solum peccati reum
Fecit, sed simul omne suum vitiavit genus,
Statim ut mortis in hereditatem cesserit:
At erga humanum genus ego misericordia
Tactus, statui inde a detrimenti tempore
Perdita reparare in filio unico omnia,
Ut spe bona mihi mortales fiderent,
Ab intolerabili mortis tyrannide

Erepti et ranslati in favorem gratia.
Quia ergo, simulac tempus venit congruum,
Filius unigenitus mecum eadem sentiens
Libenter opus ad definitum paruit
Descenditque e supremo caeli vertice
In virginis uterum, similis mortalibus
Carne induta factus, sine peccato tamen,
Atque dein verbum mundo inculcavit palam,
Nimirum quae suae esset missionis et
Adventus ratio et causa, donec omnium
Suos in umeros sumptis peccatis, mihi
Cunctorum hominum uti solverentur debita,
Decurrentis guttas sudavit sanguinis
Seque mihi victimam obtulit placabilem,
Inter latrones morte probrosissima
In cruce moriens . . . Quia mihi (inquam) istuc paruit,
Placuit et aeterno est sancitum foedere,
[H 8 a] Ut summa rursus vestiatur gloria,
Caeli terrarumque potestatem gerat,
Et absque eius nutu nemo moveat manum,
Quod iusserit, fiat sitque ratum perpetim,
Quod vetuerit, non fiat et sit irritum.
In eo solo omnis hominum consistat salus,
Nemo salvetur nisi in illius nomine,
Et omnia pro arbitratu disponat suo,
Convertat, servet, reprobet, damnet, quem velit,
Vita et mors ad verbum iugiter obtemperent.
Decrevi praeterea, ut sit inevitabilis
Vivorum ac mortuorum iudex, exigat
Factorum rationem a satrapis et regibus,
A cacodaemonibus, a tyrannis omnibus,
Ab infimis et summis, et sententia,
Quamcumque aut ad vitam aut ad mortem dixerit,
Stent et mortales cum creatis omnibus,
Nec ulla provocandi sit licentia:
Nolo ego damnare, quem filius absolverit,
Sed nec servare volo, ille quem damnaverit.
Firmiter istaec pro meritis decrevi suis,

Hostes donec suos pedum conspexerit
Positos scabella suorum despectissima.
Actum in caeli arce, mei post mortem filii
Anno primo.

Christus.

Iam auctoritate cognita
[H 8 b] Voca, Lyochares, singulatim quemlibet,
Ut solitam reddant rationem et respondeant!

Lyochares.

Accede, Princeps, primus ad subsellia
Et de cunctis in vita acceptis a Deo,
De principatu, dignitate, honoribus,
Divitiis atque potestate atque ceteris
In tota vita rationem probabilem
Reddas, si modo cupis salutem consequi!
Tuaque ratio ad decalogi spectet terminos.

Princeps.

Vae mihi, primus vocor. Tu procede, obsecro,
Franciscane, et pro te et pro nobis omnibus!

Franciscanus.

Nequaquam.

Princeps.

Non eo. Quin tu is, Episcope?

Episcopus.

Memento iam diplomatis et procedito!

Satanas.

Ubi nunc pristina vestra est audacia et animus?

Christus.

Attrahe, Lyochares, vi reluctantem; neque
Enim sponte iturus videtur.

Lyochares.

Huc eas!

Satanas.

Iudex metuende, licetne pauca proloqui?

Christus.

Licet.

Satanas.

Quoniam veteri dictum est sententia:
'Qui baptizatus crediderit, salvabitur;
Qui vero non crediderit, condemnabitur',
Ita ut in fide omnis iudicii discussio
Consistat, frustra mihi videtur calculus
[11a] In horum accipiendis teri rationibus
Mihique diu rem iudicatam protrahi.
Quippe mihi constat, horum credere neminem,
Quod facile non stupidus ex multis colligat,
Nec te istuc, iudex, qui nosti omnia, praeterit.
Proinde postulo, ne audiantur, sed mihi
Ut ante damnati addicantur protinus.

Christus.

Quid vos Satanae respondendum arbitramini,
Qui vos sibi causa indicta addici postulat?

Princeps.

Quid, nisi quod iniquum postulat, ut solet?
Calumniatur enim nos credere pernegans.
Quomodo non crederemus, populi capita? Tam
Nos fidei articulos scimus quam qui maxime.

Satanas.

Articulos fidei scire non est credere.
Quare ne, iudex, audiantur postulo,
Sed mecum eant digna accepturi praemia.

Episcopus.

Non equidem tua moramur praemia nec tibi
Fidei orthodoxae principes servivimus,
Credentes, quidquid Romae credunt optimi,
Penes quos solvendi ac ligandi copia est.

Satanas.

Ligent sane illi et solvant, quidquid lubet,
Modo sit sine praeiudicio et iudici et mihi.

Praecipui Romae sunt mei et mihi serviunt.
Nec recte credunt, nec recte credere docent.
Quamobrem illorum istic nil valet auctoritas.

[I 1 b]

Franciscanus.

Quid ais, Satana? Quamvis vincas mendaciis
Hos esse tuos, attamen haud vincis me, nisi et
In perfectos te ius habere somnias.
Tua postulato, nec eo usque impudentiae
Procedas, ut caelestibus inicias manum!

Satanas.

Quos mihi perfectos aut caelestes obicis?
Scio, quos dicas: Qui mihi perfecte serviunt
Et eadem opera iungi volunt caelestibus,
Ex quorum corte etiam tu ades, sanctissime.
Sed, iudex, altercando laceramus diem.
Quin hos iubes nunc prandere apud inferos
Mihique iudicatos addicis meos?

Episcopus.

Negamus nos esse huius, sed, iudex, tuos.
Quod nos probare posse non diffidimus
Ex sarcinis, quas ferimus; quare quaesumus,
Ne indicta causa adversum nos pronunties.

Franciscanus.

Ferre potes, Satana, iudex ut decernat, an
Causam nobis dicere liceat?

Satanas.

Et maxime,
Quandoquidem iudex vos esse meos perspicit.

Christus.

Lege decretum, Paule!

Paulus.

Quoniam Satanas reos,
Quod non credant, sibi indicta causa petit
Addici, at contra illi se affirmant credere
Idque probaturos ex allatis sarcinis:

Placuit Christo atque apostolico senatui,
Rei ut audiantur et ratione reddita,
Quibus queant modis, ut se credere probent.
[12a] Expensis donec sarcinis appareat,
An credant necne, ne queratur quis sibi
Iniuriam fieri, sed iuris copia
Data legitimae subiaceant sententiae!

Franciscanus.

Recte istuc habet. At porro, iudex, quaesumus,
Quia unusquisque nostrum patronos sibi
Peculiares ex divis selegit et
Illis viventes strenue servivimus,
Ut nostram causam agerent istuc venientium,
Nempe hic Baptistam habet et Mariam matrem tuam,
Is vero assessorem tuum Petrum apostolum.
Heus, quos tu habes?

Mercator.

Nullos.

Franciscanus.

Hem, nullos? Vae tibi!
Ceterum ego Franciscum elegi mihi unicum.
Hos iube nobis adsint et huc iam prodeant,
Ut nostris in se meritis referant gratiam!

Satanas.

Non vero admitto ullos patronos, nec aliis
Nec vobis, nec peregrinum istum morem sino
Iudicio huic introduci.

Princeps.

Te iudice.
Sed iam non abs te quaerimus sententiam.

Satanas.

Recte. At quid, si ego vobis patrociner? Nam haud parum
Pro meritis in me vestris vobis debeo.
Sed quid opus multis? Decernat iudex et hoc.

Episcopus.

Istuc ipsum petimus.

Christus.

Animum huc advortite!
[I 2 b] Lege decretum, Paule!

Paulus.

Quia manifestum est satis
Post mortem inter bonum et malum haud esse medium,
Sed rebus exempti humanis aut impii aut
Pii sunt, nec pii patronis indigent,
Cum illis sit exploratus iudicis favor,
Neque piorum ullus patrocinatur impio,
Nec impius auditur causidicus pro impiis:
Placuit Christo atque apostolico senatui, ut
Reorum quisque et stet pro se et respondeat,
Cum hic veritate, non calliditate sit opus.

Satanas.

Et istuc recte habet.

Lyochares.

Te iam rationibus
Dandis para! Vos ceteri in vestrum locum
Consistite seorsum, donec vocemini!

Satanas.

Mihi, video, sunt explicandi codices;
Negotium gliscit.

Mercator.

Recte ego fiduciam
Patronorum evomui.

Lyochares.

Tacete, ceteri!
Audis, Princeps; rationes expedi cito!

Christus.

Dic iam, quid acceperis unquam in vita tua
Et quomodo expenderis!

Princeps.

Acceptorum quidem
Non magna est copia, iudex; et quantum aestimo,
Expensa vincet accepta omnia plurimum.

Christus.

Quo pacto istuc?

Princeps.

Si quid pro acceptis debui,
Dissolvi, missumque tuus me vicarius
Fecit et operibus insuper ornavit bonis.
Pro quibus ex condigno atque congruo mihi
[13a] Debetur merces, ut te mirer poscere
A me rationem et non magis de praemiis
Mihi dandis cogitare.

Satanas.

Euge, ut virum decet.

Christus.

Quid tu ais? Ecquando dissolvisti debita?
Quo teste? Quo numismate? Quis vicarius
Te missum fecit?

Princeps.

Oh, Romanus pontifex.
Quasi nescias illum tuum esse vicarium?
Is me etiam istoc communiit diplomate:
Perlege!

Christus.

Non accipio. Nec ullus est mihi,
Qui praesens sum regoque omnia, vicarius.
Est, quod dixi olim, permultos fore, non modo
Meos qui se vicarios mendaciter,
Sed et Christos essent dicturi perfide.
An me puerum putasti, cui fieri satis
Diplomatis vel bullis queat inanibus?
Aliter reddas rationem oportet et fidem
Melioribus confirmes testimoniis.

Princeps.

Neque scio neque didici aliter, sed haec satis
Vel maximis pro debitis esse arbitror,
Et opera istaec omnem testificantur fidem.

Christus.

Qui nescit, nescietur. Quare nil agis.
Recita tu ex codice omnia huius debita!

Satanas.

Per summas dumtaxat capitum an per singula?

Christus.

Praecipuas summas recita!

Satanas.

Scriptae sunt probe.
Pro principatu, dignitate, honoribus,
[I 3 b] Divitiis atque potestate atque ceteris,
Quae externa ac interna accepit, mille Attica
Debet talenta. Quod autem haec cuncta nequiter
Prodegit et est abusus in superbiam,
Non contra homines solum, sed et adversus Deum,
Talentorum sane tria debet milia.
Porro quod hostili te Christum et tuos manu
Est persecutus, et pro unius sanguine
Occisi milia talentorum quindecim
Debet. Praeterea ex decalogo pro ceteris
Et verbis et factis, milia debet decem.
Summarum summa viginti novem facit
Talentorum Atticorum milia. Pro quibus
Illum mihi, iudex, addici postulo,
Donec solvat quadrantem etiam novissimum.

Christus.

Tot tantaque debita te solvisse praedicas?

Princeps.

Praedico. Diploma vide! Quin tantum haud debui.

Satanas.

Non? Quia it infitias, perscrutetur sarcina,
Iudex, quam tergo fert.

Christus.

Fiat. Dissolve tu,
Lyochares, et scrutare!

Lyochares.

Vah, quam fortiter
Est constricta! At nihil necessum est solvere.

Satanas.

Qui sic?

Lyochares.

Extra numerus omnis signatus est.

Christus.

Lege ergo!

Lyochares.

'Summa summarum omnium, quae in hoc
[I 4 a] Perscripta sunt fasce, novem et viginti facit
Talentorum Atticorum milia. His manu
Propria subscripsi Conscientia principis'.

Princeps.

Heu, veris vincor.

Satanas.

Iam, iudex, intellegis
Et hunc debere plurimum nec credere,
Nec esse solvendo. Quid superest nisi ut mihi,
Donec solvat, dedatur?

Princeps.

At ego supplico,
Iudex, nec ab hoc permotus adversario
Sententiam praecipites. Diploma accipe!
Et si quid hoc non est solutum, plurimum
Mecum attuli bonorum operum et summa merita,
Quibus solvi potest atque probari fides.

Satanas.

Erras, homo; res non agitur hic diplomatis,
Sed qui bona egit, est salutis particeps,
Qui mala vero, aeternis dabitur incendiis.

Princeps.

Bona ergo nonne me fecisse perspicis,
Ex quibus et debita queant solvi et perspici
Fides?

Satanas.

Nondum.

Princeps.

Nae tu calumniator ex
Professo es, qui non videas, quae vides bona.

Satanas.

Impietatis hic, non fidei video opera
Et adulterino te fretum nomismate.

Princeps.

O haereticorum singularis artifex,
Qui istaec adulterina voces atque impia!

Satanas.

Litis, iudex, nullus erit finis, nisi tua,
Quid sentias, dicatur iam sententia.

[I 4 b] **Christus.**

Lege decretum, Paule!

Paulus.

Quia reus ex sarcinis
Et diplomate cunctisque, quae secum attulit,
Et debita se confidit posse solvere
Fidemque demonstrare argumentis suam:
Placuit Christo atque apostolico senatui,
Ut debita ponderentur atque sarcinae,
Ipsusque totus insigni cum aqualiculo
Aequis utrimque iam in statera lancibus,
Ut, quanti valeat cum suis, intellegat.

Satanas.

Placet sententia.

Princeps.

Neque hercle mihi displicet.

Michael.

Huc ergo accedite!

Christus.

Pone, Michael, sarcinam,
Quam tergo huc gestavit sui insciens mali,
Talentorum Atticorum viginti novem
Milia scilicet!

Michael.

En sunt in lancium altera.

Satanas.

Quid, si meum etiam apponam, iudex, codicem?

Christus.

Appone!

Michael.

Vah, vix haec statera sustinet.

Christus.

Tu contra pone in alteram, quidquid lubet!

Princeps.

Diploma satis erit.

Michael.

Nondum.

Princeps.

Addam plura, si
Opus fuerit.

Michael.

Adde!

Princeps.

Propria haec sunt bona opera.

Michael.

Nondum satis.

Princeps.

Addam et, quae emi, aliena.

Michael.

Nil agis.

[I 5 a] **Princeps.**

Mirum profecto negotium. Addam etiam haec tria
Altaria monasteriumque dives et
Vestes sacras; sat haec superque erunt, scio.
Sine!

Michael.

Nil trahunt.

Satanas.

Quin simul imponis omnia,
Quibus fidis, nec sic vinces debita tamen.

Princeps.

Scio te istuc velle. At ego te diruptum velim.
Sacella duo ponam, quae construxi affabre.

Michael.

Frustra sunt.

Princeps.

Miror, quidnam hoc sit negotii.

Satanas.

Tuum ego ingenium demiror prorsus plumbeum,
Qui non expendas, quando sanguis civium
Evangeliique causa et contemptus Dei
Rapinaeque, ex quibus construxisti omnia,
Istis cunctis tuis nugis potiora sint.

Princeps.

Ne mea curato! Omnis movendus est lapis.
Age, missae restant et ieiunia et preces
Et acquisita merita, quae addam denique,
Ut dispereas, cum me vicisse videris.
Nunc sine, videam!

Michael.

Vide! Ne his proficis quidem.
Paleae sunt aridae.

Princeps.

Ne rideas, precor.

Michael.

Profer alia, si habes!

Princeps.

An quid sit reliquum, haud scio.
Hei mihi! Sed sarcinas scrutabor penitus. Oh,
Ponderis haud exigui adhuc indulgentias
[I 5 b] Reperio. Hem, nunc vide!

Michael.

Tipulae sunt.

Princeps.

Hei mihi,
Quam sum gravatus in his portandis sarcinis,
At eam, quam tergo gestavi, sensi levem!
Istic mirabilem experior catastrophen:
Illae apparent levissimae atque nullius
Ponderis, at istaec contra prorsus plumbea.
O ubi iam est Franciscanus, animam qui suam
Pro me et pro debitis opposuit pignori?

Satanas.

Quid tempus terimus? Quin et hunc imponimus?

Christus.

Michael, Lyochares et tu, una hunc imponite!

Michael.

En sic.

Lyochares.

Papae! Plumbeus in nostra erat manu,
Sed adversus debita videtur plumeus.

Princeps.

Heu heu, quam turpiter deceptus sum miser!

Christus.

Sat visus est. Deturbator iam ex lance! Quid
Nunc? Credis? Aut qua re solves debita?

Satanas.

Obmutuit.

Christus.

Ad sinistram hunc, Lyochares, loca
Et alium accerse!

Lyochares.

Heus tu, tibi dico, Episcope,
Accede huc atque tuas rationes explica
Tuamque confirmes fidem, quantum potes!

Episcopus.

Heu quam male ratio successit Principi!
Totus trepido. Vin tu pro me procedere?

[I 6 a]

Franciscanus.

Quin et ego ad usque pedes a vertice horreo
Hinc istuc, quod patronis destituimur et
In ignoto orbe versamur apud iudicem.
Magno animo sis! Tumes egregie et infula es
Episcopali insignitus prae Principe.

Episcopus.

Recte mones. Ille profanus quidam fuit
Nec cognitus nec commendatus iudici.

Lyochares.

Quid consultas?

Christus.

Et hunc, Lyochares, vi attrahe!

Lyochares.

Ecce hoc tibi. Cur non accersitus venis?

Christus.

Expone rationes!

Episcopus.

Num me scis, Christe, qui
Fuerim?

Christus.

Scio. Tu temet quoque faxo ut scias.

Episcopus.

Episcopus fui praecipuus in grege.

Satanas.

Id scilicet, iudex, quod inter oves lupus.

Episcopus.

Tace, rabula!

Christus.

Rationes, inquam, expone! Dic,
Quid debeas pro acceptis!

Episcopus.

Quin potius rogas,
Quid mihi pro meritis operibusque debeas?

Satanas.

Recte, ita vivam.

Christus.

Dissolve primum, quae mihi
Debes! Tum et ego resolvam, quae tibi debeo.

Episcopus.

Nihil tibi, quod sciam, debeo.

Christus.

Non mihi placet
[I 6 b] Haec ratio. Ergone mecum vis contendere?
Recita tu ex codice, quid istic mihi debeat!
Scio te accurate perscripsisse singula.

Satanas.

Vis ergo singula recitari?

Christus.

Nil opus.
Praecipuas summas, ut prius, recita!

Satanas.

Bene.
Pro dignitate ecclesiastica atque pro

Honoribus et potestate et pro corpore
Proque anima et pro donis utrique praestitis
Proque aliis externis internisque omnibus
Talenta mille debet Attica. Porro, quod
Pro acceptis nunquam gratias egit, sed in
Superbiam abusus est et contra te et tuos
Verbis, factis et cogitationibus,
Consiliis, caede hostilique animo insaniit
Papaeque velut Deo servivit unico,
Talentorum duodecim debet milia.
Praeterea, quod fuit scortator improbus
Et audax cunctae transgressor legis Dei,
Dolium et avaritiae prorsus inexplebile,
Suosque quod oneribus deglubit subditos,
Et pro aliis decalogi transgressionibus,
Talentorum decem debet milia. Dein
Et pro innocentum plurimorum sanguine, et
Quod inter principes sevit discordias,
Talentorum alia item debet milia decem.
Summarum summa triginta tria conficit
[I 7 a] Talentorum Atticorum milia. Ceterum ut
Haec vera cognoscantur, scrutetur volo et
Huius sarcina, quam fert a Conscientia
Tergo impositam.

Lyochares.

Consentit et haec prorsus tuis,
Satana, rationibus.

Satanas.

Ecce!

Christus.

Et tu te praedicas
Nihil debere?

Episcopus.

Non consuevimus homines
Pro acceptis aut nostris pro iniquitatibus
Unquam tam accurate rationem ponere.

Christus.

Ut dicis, quare vos absorbent debita.

Episcopus.

At quamquam tanta debeo, iste tamen tumor
Et infula biceps palliumque et bona opera
Et cetera in meis allata sarcinis
Vel pro maioribus facile facient satis.

Christus.

Quia igitur et tu in hac opinione es et
Istac fretus pervenisti huc fiducia,
Lata prius et te suscipiet sententia.
Quare actutum omnes ad stateram pergite et
A tergo debitorum auferte sarcinam
Et in alteram staterae ponite lancium!
Tuumque, si vis, Satana, appone codicem!

Satanas.

Volo vero maxime. Lites huiusmodi,
Quantum ego quidem existimo, celerrime et optime
Statera dirimuntur.

Michael.

Hic sunt debita.

Christus.

Et illum, quantus quantus est, in alteram
[17b] Cum meritis et operibus et bicipiti infula
Cumque superciliis arduis et aqualico
Cumque aliis, quas secum apportavit, sarcinis
Imponite!

Lyochares.

Vah et hic in nostris plumbeus
Est manibus.

Episcopus.

Nil profecto me imponi est opus.
Facile vincent merita.

Satanas.

At impositus facilius
Vinces. Sinite nunc!

Michael.

Eiusdem prope ponderis
Musca esset imposita.

Episcopus.

Hei mihi, quam gravia sunt
Debita, et adversus ea collatus sum nihil!
In terris hercle magni habitus sum ponderis;
Nunquam hanc speravi fabulae catastrophen.

Satanas.

Id recte tu quidem et mea ex sententia.

Lyochares.

Oppido, leves iam terra fert Episcopos.

Christus.

Deicite iam! Sat apparet, quanti siet.
Heus tu, iam perspicis, quidnam mihi debeas
Nec sis solvendo, quodque in te prorsus tuam
Omnem, non in me, statueris fiduciam.
Quid tibi debeo?

Satanas.

Quam piscis mutus est magis.

Christus.

Et hunc Lyochares ad sinistram colloca
Et alium accerse!

Lyochares.

Heus tu cucullate, huc veni
Operumque tuorum da rationem iudici!

[I 8 a] **Franciscanus.**

Vicit Satanas illorum neutrum credere
Nec exsolvisse peccatorum debita.
Scilicet imperfecti fuerunt nec opera

Supererogationis habuerunt, quae ego
Mihi per viginti annos paravi sedulo.
Ibo igitur; facile ratio constabit mea.
Magno animo, iudex, iudicium accessi tuum —

Satanas.

Immo, etiam magno ventre.

Franciscanus.

Opera sciens bona,
Quis per multos annos haud segnem operam dedi,
Tibi diu noctuque studiose serviens
Ieiunando, orando et vigilando plurimum.
Insuper et ab ovis abstinui atque carnibus,
Interula quoque propter te sum usus lanea
Et sacrosanctum istum gestavi habitum in meae
Probitatis iustitiaeque testimonium
Et canabino me succinxi fune, ne
Mihi cum profanis conveniret quidpiam.
Praeterea ex calceis fenestratis pedes
Prospexere, ut censerer mundus integre.
Quid castitatis memorem et oboedientiae
Paupertatisque munia perfectissima?
Omnis caute tactum fugi pecuniae
Mendicandoque victum quaesivi meum. In
Summum ita perfectionis perveni gradum.

[I 8 b] **Satanas.**

Quantopere perfectus sis, hic testabitur
Codex inque tuo pendens tergo sarcina.

Franciscanus.

Tace, calumniator! Quare horum memor,
Iudex, haud istius audies sycophantias,
Si quid criminis obicere conabitur.
Quin potius mihi pro tanto in te studio, ut bona
Dignaque des praemia, cogitabis.

Satanas.

Te hercule
Virum iudico.

Christus.

Nae, tu plane imperitus es
Tractandarum hic rerum. Quid mihi opera tua occinis
Aut cur praemia pro illis a me audes poscere?
Qua te fronte mihi servivisse praedicas?
Quis iussit facere opera, quae commemoras, bona?

Franciscanus.

Franciscus.

Christus.

Francisco ergo, non in his mihi
Servivisti. Proinde ito et ab illo tuam
Poscito mercedem! Mihi pro acceptis iam adeoque
Pro ex lege aut contra factis rationem expedi!

Franciscanus.

Atqui ea nulla existimo ratione digna, quae
Francisci non expresse dicit regula.

Christus.

At ego contra existimo ratione digna, non
Quae Franciscus aliquis, sed quae iussit Deus.

Franciscanus.

Istud equidem nostri magistri non docent.
Si quid tamen ad iussa Dei attinet, et illa me
Complesse puto et supererogasse plurima.
Unde mihi merces ex condigno competit,
[K 1 a] Aut si id forte minus, certe tamen ex congruo.

Christus.

Video, cuius farinae sis, et quod tibi
Tamquam iusto iustorum poscas praemia.
Quapropter ut hic tibi error excutiatur, ex
Codice, Satana, cuncta huius prome debita!

Satanas.

Ausculta tu perdiligenter, ut tuae
Omnes perfectionis perdiscas gradus!
Primum pro corpore et anima et pro dotibus
Internis externisque sescenta Attica

Debet talenta. Porro quod hisce nequiter
Abusus est et corpus robustum quidem
Mollitiei et veternoso otio dedit,
Animam autem variis imbuit impietatibus,
Duo milia et quadringenta talenta Attica
Debet. Praeterea quod pro contionibus
Verbo Dei impie et praefracte restitit
Et contumeliose de illo locutus est,
Talentorum novem debet milia. Dein
Quod proditione et consiliis verbi duos
Interfici fecit praecones, quindecim
Talentorum milia debet. Sed quod fuit
Cinaedus et verbis factisque plurimis
Legem Dei transgressus est, milia decem
Talentorum debet. Sic omnis debiti
Summarum summa est Atticorum milia
[K 1 b] Septem trigintaque talentorum. Et ne neget,
Vide, Lyochares, quis numerus in sarcina
Signatus sit!

Lyochares.

Tuo prorsus convenit et hic.

Satanas.

Ecce attulit hanc perfectionem nescius.

Christus.

Tantum debes. Pro quo tibi poscis praemia?

Franciscanus.

Rogas? Pro enumeratis ante operibus bonis.

Christus.

At ego solutionem iam pro debitis
Enumeratis plenam postulo.

Franciscanus.

Nunquam hercule
Tot me animadverti contraxisse debita.
Sed infitiari nequeo, ita testimoniis
Oppressus sum vel mille a Conscientia.

Utcumque tamen habet res, ex his, quae attuli,
Hac praesertim sacrosancta veste, omnia
Absolvi diluique possunt, ut dein
Et mihi condigna debeantur praemia.

Satanas.

Quin in statera expendi, iudex, praecipis
Et debita huius et quae opponit debitis?

Christus.

Sic fiet omnibus, qui mecum litigant,
Ut se cognoscant nullius esse ponderis.
Proinde actutum vos staterae debita
Et contra hunc cum suis omnibus imponite!

Michael.

Huc ergo, Lyochares, a dorso sarcinam
Istius trade!

Lyochares.

Habes.

Christus.

Iam et hunc cum calceis
Cumque cucullo aliisque, quibus fidit, omnibus
In alteram ponite!

Lyochares.

Et hic ponderosus est.

Satanas.

Tantum ne superos petat, haud contra debita,

[K 2 a]

Michael.

Discedite iam! Pondus haberet maius culex.
Distaedet operam dare rebus tam inanibus.

Franciscanus.

Vah, illius quanta gravitas est sarcinae!
Non aequam esse hanc stateram oportet, in qua ego
Cum tot bonis operibus tam videor levis.
In Papae iudicio nihil est hac veste vel

Gravius vel dignius vel sanctius, et ea
Indutos omnes pro perfectis iudicat.

Christus.

Deturbatote murmurantem protinus
Et ad sinistram collocate!

Franciscanus.

Prius ego
Ruituram omnem caeli putassem fabricam,
Quam mea opera et praesertim hanc vestem ita nullius
Momenti et ponderis fore contra debita.

Satanas.

Concede huc, aio, virorum perfectissime,
Et tecum, si placet, perpetuo ringere!

Christus.

Reliquum accerse, Lyochares!

Lyochares.

Heus, Mercator, huc
Et tu ad iudicis accede iam subsellia
Et pro vita tua rationes explica!

Mercator.

Desiderate iudex, in terris ego
Verbi tui monitu mei pro debitis
Subduxi rationem, quam credo firmiter
Et hic et perpetuo tibi probarier.
Intellegens enim mea multa debita
Et ex operibus iustificari neminem,
In te solum omnem transtuli fiduciam.
Constat enim, te ob peccatores missum a patre,
[K 2 b] Nimirum ut illorum peccata solveres
Patrique reconciliares in sanguine tuo,
Nec ullum ita grande conflavisse debitum,
Quod non in te tolli queat fiducia.
Hoc missio, officium, mors et sanguis tuus,
Victoria regnumque tuum atque resurrectio
Testantur. Insuper prophetae et apostoli
In hoc uno ore omnes consentiunt, tuo in

Nomine remissionem esse sitam debiti,
Nec credentem in te condemnari quempiam.
Credo igitur, et mea te solvisse debita
Tuaque solius opera me esse liberum
Ab inferis, peccatis, morte atque Satana.
In cuius rei praeclarum testimonium
Nullis stipatus huc perveni sarcinis
Neque meis neque alienis fretus operibus
Nec ullius causidici confisus opera,
Magni dumtaxat faciens misericordiam,
Qua me suscepisti et conservasti prior,
Qua et me spero conservatum iri perpetim.

Satanas.

Subdolus hic, iudex, est palpator. Te cave
Decipiat! Eius iam recitabo debita;
Tu quidquid debet, ut dissolvat, praecipe
Nec ita phaleratis acquiescas verbulis!

Mercator.

Num tu, Satana, accusabis electos Dei?
Si me accusabis, accusabis iudicem,
[K 3 a] Qui debita in sese mea cuncta transtulit.

Satanas.

At ego constanter te electum esse pernego,
Qui plurimis servieris iniquitatibus,
Pro quibus accusabo te, ut, quod meritus, feras.

Mercator.

Utrum sit verius, iudex pronuntiet.

Christus.

Lege decretum, Paule!

Paulus.

Quia reus pro debitis
Unius Christi nititur fiducia,
Quod scilicet illa suo solverit sanguine,
Cui divini verbi consentit veritas:
Placuit Christo atque apostolico senatui,

Ne debita eius conquirantur, nec aliquis
Ullo pro debito illum accusare audeat.
Qui contra fecerit, laesae habeatur reus
Maiestatis suaeque ferat audaciae
Poenas, quod adversus deliquit iudicem.

Satanas.

Si non sophistis extreme malefecero,
Regnum ruat meum. Nam illis dum operam dedi,
Ex retibus tum istic meis elapsus est.

Christus.

Tu ad dexteram huc consiste! Lyochares, iube
Fieri silentium!

Lyochares.

Silete, attendite,
Summam ut iudex pronuntiet sententiam!

Christus.

Quoniam Mercator hic credidit et ita fide
Solutionem debitorum nactus est,
Placet mihi atque apostolico senatui,
Ut iustus in iustorum transeat locum et
Patri mihique sit coheres perpetim.
[K 3 b] Et quoniam hi tres non credidere nec fide
Sua curarunt ut solverentur debita,
Sed in se et sua confisi me contumeliis
Meosque infandis affecere iniuriis
Hostesque se meos probarunt strenue, ut
Ita quisque eorum plus quam unam animam debeat,
Placet mihi atque apostolico senatui,
Ut impii in impiorum transeant locum
Inque inferorum fundo condignas luant
Impietatum suarum poenas perpetim,
Donec quadrantem etiam solverint novissimum.
Dixi. Tu hunc, Petre, iustorum iunge coetui!
Tu, ut scis, Satana tuos curato molliter!

Satanas.

Scilicet omnem in eos evomam aegritudinem hanc,
Quam mihi sophistarum mala peperit cohors.

Venite nunc, ut prandeamus! Appetit
Meridies.

Franciscanus.

Nos ab hac omnes sententia
Forma optima modoque provocamus ad
Patrem caelestem. Quis ferat hanc iniuriam,
Probi ut damnentur et servetur improbus,
Qui nullam unquam operibus operam dedit bonis?

Satanas.

Oh, non vacat patri, vos ut hodie audiat.
Quare mecum! Cras si patri videbitur,
Latam contra vos retractet sententiam.

EPILOGUS.

Sic ibunt hi poenas ad perpetuas, sed is
[K 4 a] Contra caelestium iungetur coetui,
Ut utraque doctrina suos habeat exitus.

CHORUS.

Papatus pereat, dicite supplices,
Qui Christi cupitis crescere gloriam,
Nugis quam ille suis destruit impie,
Prave ut constituat suam!

*

Papatus pereat, dicite supplices,
Longaevique senes et iuvenes simul,
Ne vos ille suis impietatibus
Iram ad perpetuam inquinet!

*

Papatus pereat, dicite supplices,
Quiscunque est animus vivere perpetim,
Ne vos praecipites in barathrum trahat
Aut mortis capiat iugo!

*

Papatus pereat, diximus; impii et
Fundamenta quatit continuo throni

Caelestis pater, ut praesidio suis
Se monstret fore iugiter.

*

Papatus cecidit; plaudite fortiter,
Iamque evangelii sidere ducimur,
Non incerta salus pectora gaudio
In cunctis fovet ubere.

Τέλος.

Primum carmen in Prologo sic legas, lector:
Si nova, quod aiunt, est cantio gratissima.

Verbesserte Druckfehler der Originalausgabe[1]).

V. 1 Di — contio — 108 a] fehlt — 192 isthaec — 376 quavis — 464 iuuentum — 487 Quae — 515 aliquod — 531 sunt — 649 potuerit — 756 Redigerisque — 785 quia — 790 ipsus — 876 quid — 900 achoronticum — 902 operirent — 968 omnis — 971 mihi vides — 1063 murat — 1234 pretiosae — 1302 nauseas — 1337 est] fehlt — 1343 tu] ut — 1492 quod] quae — 1505 Exortizo — 1515 est — 1593 et opus — 1765 Aliaquantum — 1867 et] fehlt — 1880 mancipantur — 1950 mihi et purgandum caput — 2136 Aequae — 2140 Horco — 2180 confidit — 2186 me] fehlt — 2251 es] se — nos] non — 2382 amotaui — — 2454 apta — 2461 Dicussio — 2532 trusi — 2554 iam] fehlt — 2674 Ligant — 3115 me] fehlt.

1) Naogeorg, der sich in einem Briefe an Stephan Roth (8. Sept. 1542. Archiv f. Gesch. des dt. Buchhandels 16, 210) bitter über die zahlreichen Druckfehler in seiner Komödie 'Incendia' beklagt, scheint mit dem Drucke des Mercator zufriedener gewesen zu sein.

Anmerkungen.

V. 428 vgl. Aristophanes, Frösche 38: τίς τὴν θύραν ἐπάταξεν; ὡς κενταυρικῶς ἐνήλατ' ὅστις.

1576 τὸ εὖ ποιεῖν ἀγαθῶν ἐστι πλῆρες ἐλπίδων steht im Leben Aesops c. 2, das früher dem Maximos Planudes zugeschrieben wurde (Fabulae Romanenses ed. Eberhard 1, 232, 10. 1872).

1821 Hieronymus, ep. 69, 5: iuxta vulgare proverbium: malo arboris nodo malus cuneus requirendus est.

2305 Pompeius Festus p. 134 ed. Lindsay: Muli Mariani dici solent a C. Mario instituto, cuius milites in furca interposita tabella varicosius onera sua portare adsueverant. Vgl. Frontinus, Strateg. 4, 1, 7.

Abweichungen der Ausgabe v. J. 1590.

Die Widmung fehlt. — V. 4 fehlt — Im Personenverzeichnis fehlen Christus und Petrus — 790 ipsius — 876 quid — 1330 iam iam — 1331—32 Queis sumptis tandem deinde Conscientia — 1334—36 Nunquid ei Parochus porriges et sanguinem? | PA. Non. CON. Quid ita? tune ad hunc modum discerpere | Audes, quae iuncta Christus praecipit dari? | Aut sacrum ei fac integrum des aut nihil. — 1338 Facere eum sacrilegii tam horrendi velis? — 1349 Quamquam mihi | Tam vera visa sunt etiam quae dictitat, | Ut mutila non sit animus sumere. | PA. Mortem absque sacro obibis? Heu. Nonne et tibi — 1359 Non disputo, qualis tu sis, nisi quod nihil — 1402 Sed et eo nil — 1403 Spernisne et hoc sacrum? MER. Non sperno — 1585 MICHAEL. In terras ire, Paule, te Christus iubet (In dieser Szene III, 1 sind dem Michael alle Reden Christi zugewiesen) — 1609 magister] sed illud — 1614 Scit Christus et suo illum afflabit — 1619 comitetur, iubet. PA. Probe — 1951 Quamobrem mihi purgandum etiam caput — 2053 agit — 2105—7 Hui ite, ite, properate, vix testudinis | Inceditis gressu, magis nec repperi — 2121—22 fehlen — 2482 nomine — 2503—53 fehlen — 2564 Hic state, dum iudex tribunal occupet — 2555 sedeat locis — 2562—63 fehlen — 2564—65 Sed haud adesse Franciscum miror, meam | Cui causam commisi — 2569 Meus intro ad assessorum abiit thronos — 2573 bis 2649 fehlen; dafür wird Michael von den mit Satanas streitenden Geistlichen aufgefordert, den vermutlichen Verlauf der späteren Gerichtsverhandlung zu schildern, und er bedient sich der Worte Christi und Pauli.

Satanas. Tamne irritis sanctos putas laboribus
Gaudere, ut advocatus horum quispiam
Vobis velit causam agere perditissimam?
Norunt meos vos esse.

Franciscanus. O mendacissima!
Tuumne me?

Satanas. Te tresque adeo hos.

Franciscanus. Hui, pessime,
Nihilne te pudere?

Satanas. Haud vana me loqui
Testabitur quaesitus hic vel Michael.

Franciscanus. Testabitur?

Satanas. Testabitur.
Franciscanus. Quaeramus heus!
Episcopus. Quaeramus, antequam ipsum adimus iudicem!
Franciscanus. O Michael!
Michael. Quid est?
Franciscanus. Ain' tu Tartari
Nos destinatos faucibus?
Michael. Quid quaeritis
Ex me, quod est pronuntiare iudicis?
Haud me penes ferre est reis sententiam;
Christo est a Patre traditum. Is vos iudicet.
Franciscanus. Iudex licet non constitutus ipse sis,
Fori tamen processus est huius tibi
Notissimus.
Michael. Recte.
Franciscanus. Ergo controversiam
Dirimere erit facile hanc tibi.
Michael. Eia dicite,
Quae sit!
Satanas. Quoniam veteri dictum est sententia . . .

*

2658 Nec iudicem hoc, qui cuncta novit, praeterit — 2668 iudici — 2688—2690 fehlen — 2691 huius esse nos, sed iudicis — 2693—94 quare non puto | Nos triste θῆτα manere, sed ταῦ candidum [1]) — 2695—97 fehlen — 2698—2702 lauten:

Michael. Quid sit futurum, audite! Quoniam vos reos,
Quod non credatis, actor hic sibi petit
Addici, at huic contrarium vos dicitis
Vestris probaturos hisce esse e sarcinis,
Christo placebit, Apostolico et senatui . . .

2709 porro postulamus, ut — 2715 Is assessorem iudicis — 2718 Hos ergo postulamus, ante iudicem | Nobis sua advocatione praesto sint — 2726—28 Ecquid hoc iudex sinet? MIC. Nullus sinet. Per se nam manifestum est satis — 2735 fehlt — 2747 copia, quantum et aestimo, Michael — 2750 Dissolvi et me missum Christi vicarius — 2759 nescias

1) Vgl. Erasmus, Adagiorum chiliades 1599 p. 408: Scribit Asconius Pedianus olim in iudiciis sortes, quae mittebantur in urnam, triplicem notam habere solere, ac Θ quidem damnationis fuisse symbolum, T absolutionis, A ampliationis. Aber Asconius (Cicero, Opera ed. Orelli 5, 2, 164) spricht nur von den lateinischen Abkürzungen C, A, NL (Condenoc, Absolvo, Non liquet). Vielmehr ist an die von Isidor, Etym. 1, 24 erwähnten Soldatenregister zu denken, wo 'T nota superstitem designabat (Dornseiff, Das Alphabet in Mystik 1925 S. 109), Θ (θάνατος) vero ad uniuscuiusque defuncti nomen apponebatur.'

Christi esse eum — 2761—62 Non accipiet diploma Christus hoc, | Ne nescius sis. Immo nec quisquam est ei, | Qui praesens est regitque — 2763 dixit quondam multos — 2764 Suos — 2766 An hunc — 2784 suos — 2791 addicet, arbitror — 2795 Archangele, haec quam tergo fert. MIC. Dissolve tu — 2804 Quando nunc satis patet — 2806 mihi ut — 2807—9 At ego non puto | Tam crudelem fore iudicem Christum tibi, ut | Sententiam praecipitet — 2824—26 Non finis imponetur huic liti, tua, | Quid sentias, ni dicatur sententia. | MIC. Sententia haec est: Quoniam reus — 2830 Placebit — 2836 Huc ergo pone tu, Lyochares, sarcinam — 2840 iudex] Michael — 2877 MIC. Adeste et una mecum eum huc imponite! — 2883—84 MIC. Ad sinistram stabis iudicis | Tu Episcopum voca! — 2890—91 Nam iudici quid ipsi respondebimus. | Si territat nos Angelus tantum! Attamen — 2895 Nec cognitus caelitibus ut nos clerici — 2896—97 EP. Me, quis fuerim, scis, Angele? | MIC. Rogas? Scio. Tu temet quoque fac ut scias. — 2901 iudex] rapax — 2903 Quin rogas, Deus — 2904 debeat — 2905 mihi] Deo — 2906 et is resolvet, quae debet tibi — 2907—09 Atqui nihil debere me scio. MIC. Ergo tu | Recitato ex codice, quid Deo iste debeat — 2919 Deum et suos — 2974 Omnem haud in Christo — 2975—77 debetur? SA. Mutus mage quam piscis est. | MIC. Et tu sinister iudici locabere. | Accerse tertium! — 2978 iudici] Archangelo — 2985 Magno animo expecto, quid de me pronunties — 2988 Laboribus Deo improbisque servii — 3006 audiet — 3008 te] se — 3009 det praemia, cogitabit — 3011 Quid opera enim occinis — 3012 a me] Deum — 3013 mihi] Deo — 3058—59 At te prius solutionem debiti | Praestare plenam oportet FR. Hau — 3077 iudex] Michael — 3087 Quem certa condemnatio manet. FR. Prius — 3093—95 Reliquum voca, Lyochares, huc! LY. Mercator, heus, | Tua pro vita et tu rationes explica! — 3096 Christi minister inclyte — 3097 tui] Dei — 3099 tibi] Deo — 3102 In Christum unum — 3103 te] illum — 3104 solveret — 3105 reconciliaret sanguine in suo — 3107 te] hunc — 3108 et fusus cruor — 3109 regnum atque resurrectio illius — 3111 Uno ore in hoc consentiunt: Christi in sacro — 3113 te] eum — 3114 te] eum — 3115 Eiusque — me] fehlt — 3116 Me ab — 3122 suscepit et conservavit — 3123 spero me — 3124—27 Quam subdolus palpator est! Haud iudicem | Decipies. Et tua recitabo debita, | Quae iudici soluta oportet omnia — 3134 iudex] Angelus — 3135 MIC. Confide, frater! Nam quia pro debitis — 3136 niteris — 3139 Placebit — 3140 eius] tua — 3141 illum] te — 3142—43 reus is habebitur | Maiestatis laesae feretque — 3148—3174 fehlen. doch wird das Urteil Christi später mitgeteilt. —

Franciscanus. O iusta et aequa causae pensitatio! O
Decisio! Quisnam ferat hanc iniuriam,
Probi ut damnentur et servetur improbus,
Qui nullam unquam operibus operam dedit bonis!

Michael. Proinde vos ad ipsa intro subsellia
Conferte! Nostra enim ne sufficit quidem

Auctoritas, in hac ut acquiescere
Velitis; ipse Christus audiendus est.

Franciscanus. Si non secus pronuntiaverit, quod haud
Tamen videtur, eius a sententia
Forma optima modoque provocabimus
Patrem ad caelestem.

Satanas. Oh haud ei vacabit, ut
Vos audiat.

Michael. Per me licebit id quidem
Vobis. Atque ecce commodum vocamini.
Ite, atque calculus vos aequior beet!
Nos interim Papatum devovebimus,
Visaque iustus ultione gestiet.

(Es folgt das Chorlied V. 3183—3202; dann kehren die drei Verurteilten zurück.)

Michael. Redire tristes a conspectu iudicis
Hos conspicor. Quî nunc habet sententia?

Lyochares. Quî? Nil tuo dissentit a suffragio.
Suprema nam fuere verba iudicis:

(Es folgen V. 3151—3166; dann:)

Dixit. Petrusque beatorum illum coetui
Iunxit, sed hos Satanas curabit molliter.

Michael. Ergo ibunt hi poenas ad perpetuas. Sed is
Caelestibus contra fruetur gaudiis,
Ut utraque doctrina suos habeat exitus.

Finis. — Auf Bl. H 4 b folgen: Errata.

BIBLIOTHEK DES
LITERARISCHEN VEREINS IN STUTTGART
SITZ TÜBINGEN

PUBLIKATION 269/270

DREI SCHAUSPIELE VOM STERBENDEN MENSCHEN

JAHRESGABE FÜR 1924 UND 1925

VERLAG KARL W. HIERSEMANN / LEIPZIG

BIBLIOTHEK DES LITERARISCHEN VEREINS STUTTGART

Die alte Heidelberger Liederhandschrift. 1844. 307 S. RM 16.—

Das Ambraser Liederhandbuch von 1582. 1844. 414 S. RM 20.—

Carmina Burana. 1847. 289 S. . . . . RM 14.—

Fastnachtsspiele aus dem 15. Jahrhundert. 4 Bände. 1853 bis 1858. 2000 S. . . . . . . RM 98.—

Grimmelshausen: Der abenteuerliche Simplizissimus und andere Schriften. 4 Bände. 1854 bis 62. 2151 S. . . . . . RM 108.—

Frischlin: Deutsche Dichtungen. 1857. 199 S. . . . . RM 10.—

Konrad v. Würzburg: Der trojanische Krieg. 1858. RM 30.—

Lauremberg: Scherzgedichte. 1861. 331 S. . . . . RM 16.—

Paul Fleming: Gedichte. 3 Bde. 1863—65. 1587 S. . . . . RM 82.—

Jacob Ayrer: Dramen. 5 Bde. 1865. 3484 S. . . . . . RM 174.—

Hans Sachs: Sämtliche Werke. 26 Bände. 1870—1900. 13400 S. (Jeder Band einzeln lieferbar.) Zusammen . . . . RM 480.—

Die ersten deutschen Zeitungen. 1872. 383 S. . . . . RM 20.—

Friedr. Logau: Sinngedichte. 1872. 817 S. . . . . RM 40.—

Simon Dach: Werke. 1876. 398 S. . . . . RM 52.—

Andreas Gryphius: Werke. 3 Bde. 1878—84. 2000 S. . . . RM 98.—

Widmann: Fausts Leben. 1880. 737 S. . . . . RM 36.—

Niederdeutsche Bauernkomödien des 17. Jahrhunderts. 1880. 290 S. . . . . RM 14.—

Georg Wickram: Werke. 8 Bde. 1901—06. 3600 S. . . . RM 168.—

H. v. Trimberg: Der Renner. 4 Bde. 1908—12. 1320 S. RM 68.—

ALTFRANZÖSISCHE LITERATUR

Li Romans d'Alixandre par Lambert li Tors ex Alixandre de Bernay. 1180. 1846. 583 S. . . . RM 28.—

Denkmäler der provenzalischen Literatur. Herausgegeben von K. Bartsch. 1856. 378 S. . RM 18.—

Renaus de Montauban oder Die Haimonskinder. 13. Jahrh. 1862. 542 S. . . . . RM 28.—

Barlaam und Josaphat. Par Gui de Cambray. 13. Jahrh. 1864. 419 S. . . . . RM 22.—

La dîme de penítance. Par Jehan de Journi. 1288. 1874. 126 S. . . . . RM 8.—

Predigten des hl. Bernhard in altfranzösischer Übertragung. 1894. 462 S. . . . . RM 24.—

GESCHICHTE

Straßburgische Chronik von Fritsche Closener. 14. Jahrh. 1842. 143 S. . . . . . . RM 8.—

Livländische Reimchronik. 13. Jahrh. 1844. 340 S. . . . RM 16.—

Maximilian I.: Urkunden, Briefe, Aktenstücke. 1845. 585 S. . . . . RM 28.—

Karl V.: Staatspapiere. 1845. 615 S. . . . . RM 32.—

Urkunden zur Geschichte des schwäbischen Bundes. 2 Bde. 1846—53. 937 S. . . . . RM 28.—

Konrad Stolle: Thüringisch-erfurtische Chronik. 1502. 1854. 244 S. . . . . RM 12.—

Das Zeitbuch des Eike von Repgow. 1250. 1857. 763 S. RM 38.—